



ET
VE
RI
TAS
CHRISTO
ECCLESIAE
SIGILLVM ACADEMIAE

DE

HERODIS ATTICI ORATIONE

ΠΕΡΙ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA REGIA CHRISTIANA-ALBERTINA KILIENSI

IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HENRICUS HASS

MELDORPIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXX.

IMPRIMATUR:

GEORGIUS HOFFMANN

H. T. DECANUS.

FRIDERICO BLASS

PRAECEPTORI HUMANISSIMO

S.

Caput I.

ΗΡΩΔΟΥ ΠΕΡΙ ΠΟΛΙΤΕΙΑΣ.

Διότι μὲν[1] ἀνάγκη λέγειν καὶ τηλικοῖσδε καὶ μὴ[2] πολὺ νεωτέροις περὶ τοῦ παρόντος πράγματος, ἔχω λέξαι· διότι δὲ εἰκός ἐστι σιωπᾶν ἔχοντα λέγειν, οὔτε παρ' ἄλλου[3] δύναμαι μαθεῖν, οὔτε αὐτὸς ἐξευρίσκω. περὶ μὲν γὰρ ἑτέρου πράγματος ἔχοι τις ἂν ἐγκαλεῖν τοῖς λέγουσι ματαιότητα ἢ πολυπραγμοσύνην, αἰτιασάμενος μὴ ἐπίστασθαι[4] τὰ παρόντα πράγματα· τὰ δὲ εἰς τὸν πόλεμον ἀνήκοντα πᾶσι μέν ἐστιν ἐν κοινῷ, μάλιστα δὲ ἀναγκαῖον καὶ προσῆκον ταῖσδε ταῖς ἡλικίαις ἐπίστασθαι περὶ αὐτῶν καὶ λέγειν. οἷς γὰρ ὁ κίνδυνος οἰκειότατος[5] γίνεται, τούτοις ἀναγκαῖόν ἐστι μάλιστα μέλειν· οἷς δὲ μέλειν ἐπιτέτακται, τούτοις[6] εἰκὸς ἐξευρίσκειν[7] μάλιστα. τοῦ μὲν οὖν λέγειν πολλὰς ἀνάγκας εὑρίσκω, τοῦ δὲ σιωπᾶν οὐδεμίαν ὁρῶ συγγνώμην. ἐγὼ γὰρ ἐβουλόμην μὲν ὑμᾶς αὐτοὺς τῶν ὑμετέρων ἀγαθῶν αἰτίους εἶναι μετὰ τῶν θεῶν· εἰ δὲ τοῦτο διατρίβετε καὶ δι' ἄλλους εὖ πράττειν ἡδύ, δοκεῖ δή μοι θεῶν τινος[8] ἐπιμελείᾳ γίνεσθαι τὸ γινόμενον. ἃ μὲν γὰρ ὑμᾶς ἐχρῆν παρασκευάσασθαι χρήμασι πείθοντας καὶ τοῖς σώμασι κινδυνεύοντας, ταῦτα πάνθ' ὑμῖν ἡ τύχη ἄνευ πόνου καὶ χρημάτων συνέπραξεν, ὥστε τοὺς ὑμετέρους ἐχθροὺς ἑκόντας ὑμῖν[9] δίκην δοῦναι. πρῶτον μὲν[10] ὡς ἀγαθόν ἐστι πείθεσθαι τοῖς ἐπαγγελλομένοις πόλεμον, τοῦθ' ὑμᾶς διδάξω, δεύτερον δ' ὡς ἀναγκαῖον.

Ἡμεῖς μὲν γὰρ ἐπιστάμεθα[11] γινώσκειν τὰ φύσει πολέμια τῇδε τῇ χώρᾳ, προγινώσκοντές τ' ἂν πρὶν παθεῖν εὐλαβούμεθα, τὰ μὲν ἐκείνων ἀσθενῆ καθιστάντες ἐκ παντὸς τρόπου, τὰ δ' ἡμέτερα[12] αὐτῶν κρείσσονα, γινώσκοντες[13], ὅτι τὸ φύσει πολέμιον τῷ μὴ δύνασθαι κακὰ δρᾶν ἡσυχίαν ἄγει. νῦν δὲ τὴν ἡμετέραν[14] διδασκαλίαν ἐκ τῶν συμφορῶν ἐπιστάμεθα τὸν ἄνδρα τοῦτον[15] οὐδέποθ' ἡμῖν[16] φίλον ἐσόμενον, οὐδὲ διαλλαγὴν ἐσομένην ἐκείνῳ πρὸς ἡμᾶς.[17] οὐ γὰρ ἀδικούμενος ὑφ' ἡμῶν[18], ἀλλ' ἀδικεῖν βουλόμενος ἐχθρὸς ἡμῖν[19] ἐστιν. ἔχει μέν γε χώραν[20], ἣν ἡμῖν οἱ πατέρες κτησάμενοι παρέδωκαν, ἣν διὰ μὲν τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν ἕξει, διὰ δὲ δύναμιν ἄκων ἀποδώσει. μία μὲν αὕτη πρόφασις αὐτῷ κακονοίας πρὸς ἡμᾶς[21], ἔπειτα δὲ ὅτι ταῖς μὲν Ἑλλήνων πόλεσιν ἱκανόν ἐστι τὴν αὐτῶν

δύναμιν διασῶσαι τοῖς ἐπιγιγνομένοις, τοῖς δὲ τυράννοις τοῦτ'[22] οὐκ ἀπόχρη μόνον, ἀλλὰ προσκαταστρέψασθαι δέονται τοὺς πλουσιωτάτους ἀεί. ἡμεῖς μὲν οὖν δοκοῦμεν οὔτ' αὐτοὶ ῥᾳδίως ἂν τοῦτο παθεῖν, ἄλλοις τε ἐμποδὼν γενέσθαι. διὰ τοῦθ' ἡμῖν ἐκεῖνος ἄχθεται βουλόμενος σφάλλεσθαι τὰς ἐλπίδας τῶν ἡμῖν πιστευόντων. ἀπὸ μιᾶς οὖν τέχνης ὁρμώμενος ἡμῶν τε κρατήσειν οἴεται καὶ τούτων, ὧν δι' ἡμᾶς οὐκ ἄρξει. ταῦτα δὲ πρότερον ἐξῆν εἰκάζειν ἡμῖν, νῦν δὲ σαφῶς γινώσκειν ἔργῳ πάσχοντας. ᾧ γὰρ ἁλίσκεται μάλιστα καὶ πόλις καὶ χώρα, τοῦτο τὸ χωρίον οὐκ ἔλαθεν αὐτὸν ἰδόντα στασιάζοντας ἡμᾶς[23] αὐτούς, ἀλλὰ μετὰ τῶν[24] ὀλίγων ἐπὶ τοὺς[25] πάντας οὐκ ὤκνησεν ἐλθεῖν. ἠπίστατο γάρ[26], ὅτι τοῖς ὀλίγοις[27] μὲν ἐπιχειρήσας οὐδὲν ἂν ἔπραξεν, ὧν ἐβούλετο, (τοὺς γὰρ ἀσθενεστέρους συγκαταπολεμήσας οὐκ ἄρξειν τῶν πλειόνων ἔμελλεν, ἱκανοὶ γὰρ ἦσαν ἂν αὐτὸν ἀμύνασθαι)· εἰ δὲ τοὺς πολλοὺς μετὰ τῶν ὀλίγων καταστρέψαιτο, ῥᾳδίως ἁπάντων ᾤετο[28] κρατήσειν. οὕτω μὲν αὐτὸν[29] βούλεσθαι πέφυκεν ἡμᾶς[30] στασιάζειν. εἰ δ' αὐτῷ ταῦτα συμφέρει, καὶ πράσσειν[31] οἴεσθε[32] αὐτόν. τὸ δ' ἐκείνου συμφέρον, ὅσον ἡμῖν[33] κακόν ἐστιν[34], ἀθρήσετε πρὸς τὸ μέγιστον τῶν ἄλλων ἀντιτιθέντες.[35] ὁμολογεῖται γὰρ πόλεμος τῶν ἄλλων κακῶν τοσούτῳ μέγιστον εἶναι, ὅσῳπερ εἰρήνη τῶν ἀγαθῶν. ἴσῳ μέντοι μεγέθει τὸν πόλεμον ἡ στάσις ὑπερβάλλει, ὅσῳπερ ὁ πόλεμος τὴν εἰρήνην. ἐν μὲν γὰρ τῷ ξενικῷ πολέμῳ τὴν πατρίδα σώζοντες ἀποθνήσκουσιν, ἐν δὲ τῷ πολιτικῷ διαφθείροντες ἑαυτούς, ὥστε μηδὲ[36] τοὺς ἀποκτείναντας εὐδοκιμεῖν. ἄλλοις μὲν γὰρ πολεμοῦντες πολεμοῦσιν[37] ὑπὲρ τῶν φίλων καὶ τοὺς ἀλλοτρίους νικῶντες ἑτέρους κτῶνται φίλους, ὅταν δὲ τοὺς οἰκείους, ἀποστεροῦνται καὶ τῶν ὑπαρχόντων. ἁρπαγὴν δὲ χώρας καὶ χρημάτων φθορὰν καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἡδονὴν καὶ τοῖς φίλοις συμφορὰν[38] ὅσην δύνανται[39], πολὺς ἀριθμὸς καθ' ἕκαστον[40] ἐξηγήσασθαι. καὶ τούτων οὐδ' ἀπαλλαγῆναι ῥᾴδιον, ἐπειδὰν ἄρξηταί τις, τὸν διαλύσοντα[41] γὰρ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν. οἱ γὰρ πλησίον οἰκοῦντες οὐκ ἄχθονται στασιαζόντων τῶν πλησίον, οἱ μὲν ἀσθενέστεροι, ὅπως ἂν μη ἄρχωνται, οἱ δ' ὅμοιοι τὴν δύναμιν, ὅπως ἂν κρείσσονες γένωνται, οἱ δ' ἰσχυροί, ὅπως ἂν ῥᾳδιέστερον ἄρχωσι. καὶ τούτων οὐκ οἶδ' ὅτι δεῖ σημεῖον ἄλλοθεν λαβεῖν, ἡμεῖς γὰρ τοῖς ἄλλοις σημεῖόν ἐσμεν. χώραν γὰρ τῶν Ἑλλήνων ἔχοντες πλείστην καὶ πλεῖστα δυναμένην παρέχειν οὐ μόνον τοῖς ἐνοικοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς παροίκοις οὐ φαινόμεθα πλουσιώτεροι τῶν παρ' ἡμῶν ἐξαγομένων[42] ὄντες. ἐκεῖνοι[43] μὲν γὰρ ἑαυτοῖς κατατίθενται τὰ παραγινόμενα, ἡμεῖς δ' εἰς τοὺς ἀλλοτρίους[44] ἀναλίσκομεν, τὰ κοινὰ μὲν ἴδια ποιοῦντες, τὰ δὲ τῶν ἰδιωτῶν κοινά. καίτοι πῶς οὐ δεινόν ἐστι τούτους κοινῇ τρέφειν, οἳ τὴν πόλιν οὐ κοινὴν ἡμῖν παρέχουσι; πρὸς τούτοις τε γῆν ἔχοντες εὐφυεστάτην ἀμύνεσθαι τοὺς ἐπιόντας καὶ τὸ σύμμαχον ἐγγενὲς παρεχομένην καὶ ἵππους οὐχ

ὅπως διαλύομεν[45] τοὺς βουλομένους ἀδικεῖν, ἀλλ' ἐπαγόμεθα τοὺς ἀμυνοῦντας μισθῷ πείθοντες καὶ φυλασσόμεθα ξένους, καὶ καταφρονεῖται μὲν ἡ δύναμις τῆς χώρας, καταγελώμεθα δ' αὐτοί. τούτων πάντων καὶ ἑτέρων πολλῶν τὸν αἴτιον αὐτοὶ παρόντα ἐθεάσασθε[46] τοιαύτην ἐπίδειξιν ἐπιδείξαντα πᾶσιν, οἵαν οὐδεὶς οὕτω σκληρὸς οὐδὲ μισάνθρωπός ἐστιν, ὅστις ἀδάκρυτος ἂν διηγήσαιτο. τί γὰρ οὐκ ἐγένετο τῶν μεγίστων κακῶν; οὐ παῖδες καὶ γυναῖκες καὶ πατέρες γέροντες καὶ μητέρες θεωροὶ κατέστησαν ἀποθνησκόντων, οἱ μὲν πατέρων, αἱ δ'[47] ἀνδρῶν, οἱ δὲ[48] παίδων; οἱ μὲν[49] ἐν ταῖς αὐτῶν χερσὶ τελευτώντων τὸν βίον, οἱ δ'[50] ἐν τοῖς πολεμίοις διαφθειρομένων; οἰκίας δὲ κατασκαπτομένας καὶ χρήματα διαρπαζόμενα;[51] καὶ τὸ πάντων δεινότατον, ὁπότε τύχοι τῶν αὐτῶν ἱερῶν κοινωνῶν ὁ ταῦτα δρῶν καὶ τῆς αὐτῆς φυλῆς ὤν, ᾧ προσῆκεν[52] ἐπαμῦναι κατά γε νόμον, ἀλλὰ μὴ παρανόμως ἀπολέσαι; ὅτε καὶ τοῖς γέρουσιν ἐφάνη συμφορὰ τὸ γῆρας καὶ τοῖς ὀρφανοῖς ἡ νεότης.[53] καὶ τούτων τὸν αἴτιον πῶς οὐ χρὴ κακῶς δρᾶν δυναμένους γε; ἀμυνομένους μὲν ὧν ὑπῆρξε, τιμωροῦντας δὲ τοῖς ἀποθανοῦσιν, οἰκτείροντας δὲ τοὺς ἀποστερηθέντας; οὐ γὰρ μόνον τοσοῦτον ἀγαθόν ἐστιν, ὅτι τῶν παροιχομένων ληψόμεθα δίκην, ἀλλ' ὅτι παράδειγμα τοῦτο δείξαντες ἀποδιδάξομεν τοὺς ἄλλους μὴ νομίζειν εὕρημα τὴν ἡμετέραν διαφοράν, μηδὲ μεθ' ἡμῶν ἐπιβουλεύειν ἡμῖν. ἐὰν δὲ τοῦτο γένηται, πολλὰς ἐλπίδας ἔχω μηδὲ στασιάσειν ἡμᾶς, ὅταν ἐπίκουροι μηδαμόθεν ἴωσι τοῖς ἐπιβουλεύουσιν.

Οὕτω μὲν οὖν ἀγαθόν ἐστιν ἡμῖν ἐθελοντὰς[54] ὁμολογῆσαι συμπολεμεῖν τοῖς παρακαλοῦσιν· ὡς δ' ἀναγκαῖόν ἐστιν, ἐκ τῶν ἐπιλοίπων χρὴ σκοπεῖν. Ἀρχέλαος γὰρ οὔτ' ἐπὶ Πελοποννησίους ἦλθε μετὰ Ἀθηναίων, οὔτε διὰ τῆς χώρας ἰέναι βουλομένους ἔπαυσεν, οὔτε χρήματα παρέσχεν ἐπὶ τούτοις[55], οὐδὲ ἔστι πρόφασις τῆς ἔχθρας, πλὴν ὅτι οὐκ ἤθελε συμπολεμεῖν αὐτοῖς πρὸς Ἀθηναίους, ἀλλ' ἡσυχίαν ἦγεν. ἐπειδὴ τοίνυν τοῖς Πελοποννησίοις[56] ἱκανὴ πρόφασίς ἐστι πολεμίους νομίζειν τοὺς μὴ συμπολεμήσαντας[57] αὐτοῖς, εὐλαβηθῶμεν, ὅπως μὴ διὰ τὴν αὐτὴν πρόφασιν ἡμῖν πολεμήσωσιν, εἰ παρακαλούμενοι μὴ βουλησόμεθα συμπολεμεῖν[58] μετὰ Πελοποννησίων. [καίτοι Ἀρχέλαος μὲν ἱκανὴν πρόφασιν εἶχε τοῦ μὴ βούλεσθαι συμπολεμεῖν αὐτοῖς], οὐ γὰρ ἠδικεῖτο ὑπὸ Ἀθηναίων οὐδέν.[59] ἡμῖν δὲ δὴ τίς λόγος ὑπολείπεται; πότερον ὡς οὐκ ἀδικούμεθα;[60] διδάξομεν αὐτοὺς ταὐτὰ[61] δρᾶν, ἅπερ ἐκεῖνος, οὐ γὰρ ἄδικον, εἴπερ ὁ τάδε δράσας οὐκ ἀδικεῖ. ἀλλ' ἀδικεῖσθαι μὲν φήσομεν, ἀμύνεσθαι δ' οὐ βουλόμεθα;[62] πολλὴν ἄρα δειλίαν ποιήσομεν τοῖς βουλομένοις ἡμᾶς κακῶς[63] δρᾶν. ἀλλὰ βούλεσθαι μέν, δύνασθαι δ' οὔ; τίς οὖν οὐ καταφρονήσει τῆς δυνάμεως ἡμῶν, εἰ τοὺς Ἕλληνάς γε ἔχοντες ἐπικούρους οὐδὲ οὕτω δυνησόμεθα τοὺς ἐχθροὺς ἀμύνεσθαι; καὶ τὸ μέγιστον, εἰ δευτέραν αἰτίαν σχή-

σομεν ὑπὸ[64] τῶν Ἑλλήνων, πρότερον μέν, ὅτι τὸν Μηδικὸν[65] οὐ συνεπολεμήσαμεν, δεύτερον δὲ τὸν νῦν ἐπαγγελλόμενον. καίτοι πρὸς ἐκεῖνον μὲν ἱκανὴν πρόφασιν εἴχομεν· πρὸ ἡμῶν μὲν γὰρ ἠθέλομεν αὐτοῖς συνδιακινδυνεύειν, οὕτω γὰρ ἐπ' ἴσης[66] ἐγίνετο μᾶλλον, ἢ τὴν ἡμετέραν[67] αὐτῶν ἀπολιπόντας περὶ τῆς ἐκείνων διαμάχεσθαι. νῦν δὲ τί φήσομεν; αὐτοὶ γὰρ ἥκουσι ὑπὲρ ἡμῶν καὶ τῆς ἡμετέρας ἐθέλοντες[68] κινδυνεύειν. ἔτι δὲ πῶς οὐ δεινόν, εἰ μόνοι τῶν Ἑλλήνων εἰς τὴν Ἑλληνίδα συμμαχίαν οὐ συναριθμησόμεθα; τοῦτο δ' ὅσον ἐστίν, αὐτὸς οὗτος δεδήλωκεν· ἐπιθυμῶν γὰρ καὶ χρήματα βουλόμενος τοῖς Ἕλλησι δοῦναι, ὅπως γένοιτο σύμμαχος, οὐκ ἐδυνήθη διαπράξασθαι. καὶ τοῦτο σχεδόν ἐστι δυοῖν σημεῖον, καὶ ὅτι ἀγαθόν ἐστι, καὶ ὅτι χαλεπόν. περὶ μὲν οὖν τούτων, ἐὰν πρὸς ταῦτά τις ἀντιλέγῃ, τοσαῦτά μοι λελέχθω.

Ἤδη δὲ λόγον ἤκουσα λεγόμενον, ὅς μοι[69] σημεῖόν ἐστιν ἱκανόν, ὅτι βέλτιστά ἐστιν, ἃ ἐγὼ λέγω.[70] τοῖς δ' ἐναντιωσομένοις, εἴπερ ὁ λόγος ἐκεῖνος ἰσχυρότατός ἐστιν, οὐκ ἄξιόν ἐστιν ἔτι φοβηθῆναι. λέγουσι γὰρ ὡς κρείσσων[71] Ἀρχέλαός ἐστι, καὶ τοιοῦτος ὢν πρόσοικος, μᾶλλον ἢ Πελοποννήσιοι· τοῦτον μὲν γάρ, εἰ βουλοίμεθα, δυναίμεθ' ἂν ἀμύνεσθαι[72], Πελοποννησίους δ' οὐκ ἄν· οὐκοῦν κρεῖσσον στασιάζειν πρὸς ἡμᾶς[73] αὐτοὺς μᾶλλον, ἢ δουλεύειν ἑτέροις[74]. ἐγὼ δ' εἰ μὲν ἀνάγκην ἑώρων οὖσαν ἡμῖν ἑλέσθαι δυοῖν θάτερον, ἐβουλευσάμην ἄν, ὁπότερον χρῆν[75] μ' ἑλέσθαι, τὴν δ' ἡσυχίαν εὑρίσκω πρὸς Πελοποννησίοις[76] οὖσαν. θαυμάζω δὲ καὶ τῶν ἀντιτιθέντων τὰ[77] πράγματα τοῖς πράγμασιν. οὐ γὰρ ὅμοια πρὸς ὅμοια συντιθέασι[78], πρῶτον μὲν ὅτι τὰ μὲν ὑπὸ τούτου[79] σαφῶς ἐπιστάμεθα, τὰ δ' ὑπ' ἐκείνων ὑπονοοῦμεν. τὰ μὲν γὰρ ἐπάθομεν, τὰ δ' οὐκ ἐπιστάμεθα, εἰ πεισόμεθα. πῶς οὖν ἴσον ἐστὶ τοῖς μὲν ἤδη γεγενημένοις[80] μὴ θυμοῦσθαι, τὰ δ' εἰκαζόμενα φοβεῖσθαι μᾶλλον; ἐκ ποίων δὲ χρὴ παραδειγμάτων ὀῤῥωδεῖν αὐτά; πότερον οὐχ ὁρῶμεν τοὺς πλησιαιτάτους[81] ἡμῖν προσοικοῦντας τῶν Ἑλλήνων, Φωκέας, ἐλευθέρους ὄντας, προσεχομένους δὲ Βοιωτοὺς οὔτε φόρον φέροντας ἐκείνοις, οὔτε ἄρχοντα[82] οὐδένα Λακεδαιμονίων αὐτόθι; ἔτι δὲ διὰ πλείονος Κορινθίους αὐτονόμους ὄντας καὶ τῶν ἑαυτῶν κρατοῦντας; Ἀχαιοὺς δὲ πρὸς τούτοις οὔτε πλείονας ὄντας ἡμῶν, οὔτε κατὰ πλείους οἰκοῦντας; Ἠλείους δὲ καὶ Τεγεάτας καὶ τοὺς ἄλλους Ἀρκάδας, ἀστυγείτονας ὄντας; ἔνθ' οὐδεὶς εὕρηκέ πω Λακεδαιμόνιον ἄρχοντα, ὥσπερ οὐδ' ἐνθάδε Μακεδόνα. πολιτείας δὲ πανταχοῦ καὶ νόμους ἐπιστάμεθα κειμένους, καὶ τὰ κοινὰ κοινῇ καρπουμένους. ἴσως ἄν τις εἴποι[83], ἀλλ' ὀλιγαρχίαν ἁπανταχοῦ καθιστᾶσι. τοιαύτην[84] γε, οἵαν ἡμεῖς εὐχόμενοι πολὺν χρόνον καὶ ποθοῦντες, ὀλίγον χρόνον ἰδόντες ἀφῃρέθημεν, εἰ δὴ[85] προσήκει ὀλιγαρχίας λέγειν ἐκείνας πρὸς τὰς ἐνθάδε. ποῦ γὰρ οὕτω μικρὰ πόλις, ἐν ᾗ τὸ τρίτον μέρος οὐ μετέχει τῶν πραγμάτων αὐτόθι; ὅτῳ[86] δὲ

μήτε ὅπλα μηδὲ[87] ἄλλη δύναμίς ἐστι τὰ κοινὰ πράσσειν, οὐχ ὑπὸ Λακεδαιμονίων, ἀλλ' ὑπὸ τῆς τύχης ἀπεστερήθη τῶν[88] πραγμάτων. ἀπεστέρηται δὲ τοσοῦτον χρόνον, ἕως ἂν παράδειγμα θῆται[89]. Πάντα δὲ ταῦτα παρ' ἡμῖν ἔστιν[90]. οἶμαι μὲν οὖν[91] ἡμᾶς οὐδ' ἂν εὐχομένους ἄλλως εὔξασθαι πολιτεύεσθαι, παραδείγματα δὲ[92] τοιαῦτα παρεχομένους ὀῤῥωδεῖν οὐκ εἰκὸς αὐτούς, ἃ μὴ γενέσθαι δεινόν ἐστι μᾶλλον, ἢ γενέσθαι. καὶ Λακεδαιμονίους[93] μὲν οὐκέτι πέφυκεν ἡμῖν[94] ἐπιτίθεσθαι. πόῤῥω γὰρ οἰκοῦσιν ἀφ' ἡμῶν[95], ἀπαράσκευοί τ' εἰσὶ πρὸς τὴν χώραν. ᾧ γὰρ ἡμεῖς ἰσχύομεν μάλιστα, οὐκ ὀλίγον διαφέρουσι, πλησίοι εἶναι αὐτῷ.[96] πρῶτον μὲν οὖν[97] οὐκ εἰκότως ἐπιβουλεύουσιν, ἐὰν δ' ἐγχειρῶσιν[98], οὐ λήσουσιν, ἐὰν δὲ προγινώσκωμεν, οὐκ ἀμελήσομεν αὐτῶν. ὥστε οὐδαμῇ καλῶς αὐτοῖς ἐπιτίθεσθαι σχήσει.

Εἰ δὲ καὶ τόνδε τις τὸν λόγον λέξει, ὡς Ἀρχέλαος παῖδας ἔχει, καὶ[99] διὰ τοὺς παῖδας οὐχ οἷόντε συμπολεμεῖν, πρῶτον μὲν ἄξιον θαυμάσαι τοῦτον, ὅστις περὶ μὲν[100] δέκα παίδων λέξειε, περὶ δὲ τῶν ἁπάντων οὐ λέγει, οὐδὲ περὶ τῆς πόλεως, καὶ τὸ μὲν τῶν πάντων[101] συμφέρον ἀποστερεῖ, περὶ δὲ τῶν ὀλίγων καθίστησιν. εἰ μὲν οὖν ἀναγκαῖον ἦν παθεῖν τι τοὺς παῖδας, οὐ θαυμαστὸν ἦν λέξαι· νῦν δὲ δῆλόν ἐστιν, ὅτι κρατοῦντες ἐκείνου καὶ τῶν παίδων ἅμα κρατήσομεν[102], ὥστε ἀφελόντες τῶν ἐκείνου κακῶν ῥᾳδίως ἀπολαβεῖν τοὺς παῖδας.

Ὁ μὲν οὖν ἐμὸς λόγος ἀμύνεσθαι μὲν τὸν ἀδικοῦντα κελεύει, τιμωρεῖν δὲ τοῖς ἀποθανοῦσι, χαρίζεσθαι δὲ τοῖς προσήκουσι[103], δέχεσθαι δὲ τὴν τύχην, συμμάχους τε τοῖς Ἕλλησιν εἶναι, πολεμίους[104] δὲ τοῖς βαρβάροις, καὶ πιστεύειν μὲν τοῖς ὠφελοῦσι, ὀῤῥωδεῖν δὲ τοὺς μὴ τοιούτους, ἐχθροὺς δὲ νομίζειν τοὺς ἀδικοῦντας, φίλους δὲ τοὺς ἐπαμύνοντας, πρὸς τούτοις τε τὰ γιγνωσκόμενα τῶν εἰκαζομένων κυριώτερα ἡγεῖσθαι. ταῦτα μὲν οὖν οὑμὸς λόγος. τοῖς δὲ ἐναντιουμένοις, εἰ εἰς[105] τοῦτο ἥξουσι τόλμης, τἀναντία δεῖ δύνασθαι τὸν λόγον[106], ἀνέχεσθαι μὲν ἀδικουμένους, ὠφελεῖν δὲ τοὺς ἀδικοῦντας, φεύγειν δὲ τοὺς βουλομένους ὠφελεῖν, ἀπιστεῖν δὲ τοῖς φίλοις, πιστεύειν δὲ τοῖς ἐχθροῖς, ὀῤῥωδεῖν δὲ τὰ πόῤῥω, τὰ δὲ πλησίον ὑπερορᾶν, ἔπειτα τοῖς Ἕλλησι μὴ γίνεσθαι συμμάχους, τοῖς δὲ βαρβάροις, καὶ πρὸς τούτῳ[107] τοῖς ἐχθροτάτοις, ἔτι δὲ ἀτιμωρήτους μὲν τεθνάναι τοὺς ἀποθανόντας, ἀτίμους δὲ τοὺς προσήκοντας εἶναι, καὶ μήτε πολιτείαν εἶναι, μήτε νόμον, μήτε δίκας. τοιαῦτα ἀνάγκη τὸν λόγον τὸν[108] τῶν ἀντιλεξόντων δύνασθαι· ταῦτα γάρ ἐστιν ἐναντία τούτοις, οἷς ἐγὼ λέγω. πειθόμενοι οὖν ἐκείνοις τούτων οὐχ ἁμαρτήσεσθε, δεξάμενοι δὲ τὴν συμμαχίαν καὶ προθυμηθέντες, ὧν ἐπάθομέν τε δίκην ληψόμεθα καὶ τὸ λοιπὸν οὐ πεισόμεθα τοιαῦτα.

Lectionis varietas, annotationes.

De codicibus cf. Bekker oratores Attici I p. 3.

1. *μέν* om. ς.

2. *μή* om. ς. *μή* videtur esse retinendum. Ea enim est vis et voluntas prooemii, ut civi, cui de re domestica disserenti merito propter iuventutem vanitas vel arrogantia crimini dari possit, de bello et belli rationibus verba faciendi facultatem vel potius officium vindicet, quia in ipsum omnia belli gerendi pericula redundent. Itaque, nisi ineptum prooemium esse statuimus, nostrum oratorem iuvenem esse oportet, et illud *μὴ πολὺ νεωτέροις* utique retinendum est. Quid enim multis se esse idoneum suasorem comprobare studeret noster, si etiam multo minores natu fas esse dicere ipse contenderet?

3. *ἄλλων* ς.

4. *αἰτιασάμενος ἐπίστασθαι*, cod. Bekker. — *οὐκ ἐπίστασθαι*, vel *οὐ καλῶς ἐπίστασθαι* Reiske. Elocutioni *αἰτιασάμενος ἐπίστασθαι* opposita est altera: *πᾶσι μέν ἐστιν ἐν κοινῷ, μάλιστα δὲ ἀναγκαῖον καὶ προσῆκον ταῖσδε ταῖς ἡλικίαις ἐπίστασθαι*, quae oppositio postulat, ut in priore membro negatio ponatur, quam propter infinitivum *ἐπίστασθαι μή* esse oportet. Idem demonstrat comparatio huius nostri cum Isocratis Archidami prooemio, cuius imago Herodi videtur obversata esse.

5. *οἰκειότητος* L.

6. *τούτους* corr. A, Reiske, Bekker. *τούτοις* cet.

7. *ἐξευρίσκει* L. *ἐξευρίσκει* B.

8. *τινός* om. Z.

9. *ἡμῖν* ABLZ.

10. *πρῶτον μέν* ABLZ. *πρῶτον μὲν οὖν* Reiske, vocem *οὖν* uncis inclusam addidit Bekker.

11. *ἐπιστάμενοι* Z.

12. *ὑμέτερα* ABLZ. *εὐλαβούμεθα* postulat, ut scribamus *ἡμέτερα*, quod iam Reiske et Bekker in textum receperunt.

13. *κρεῖσσον ἀναγινώσκοντες* cod., *κρείσσονα, γινώσκοντες* Stephanus.

14. *ὑμετέραν* AB. *ἡμετέραν* LZ. Reiske, Bekker.

15. *τὸν ἄνδρα τοῦτον*, scil. Archelaum.

16. *ὑμῖν* cod. Reisk. *ἡμῖν* Bekk.

17. *ἡμᾶς* cod. Bekk. *ὑμᾶς* ς.

18. *ἡμῶν* Z, Bekk. *ὑμῶν* cet. Reisk.

19. *ἡμῖν* cod. Bekk. *ὑμῖν* ς.

20. *χώραν* om. LZ, Reisk.

21. *ὑμᾶς* cod. Reisk. Bekk. *ἡμᾶς* dedi de meo. Codices enim, id quod iam ex allata lectionis varietate apparet, tanta licentia et inconstantia primam et secundam personam pronominum personalium et possessivorum confundunt, ut etiam primae verbi finiti personae secundam pronominis apponant. Itaque cum his in rebus ut magnam inconstantiam ita parvam et fere nullam auctoritatem codicum esse appareat, ubique primam pronominum personam posui.

22. *ταῦτ'*, quod praebent cod., ego in *τοῦτ'* mutavi, quia sequitur *μόνον* et pronomen demonstrativum ad unum illud *τὴν αὐτῶν δύναμιν διασῶσαι* respicit.

23. *ὑμᾶς* cod. *ἡμᾶς* Reisk. Bekk.

24. *μετὰ τῶν* ABL. *μετ'* Z.

25. *ἐπὶ τούς* Reisk. *ἐπὶ τούτους*, cod. Bekk.

26. ἠπίστατο γὰρ ἐλθών, ὅτι cod. — Vocem ἐλθών, quae ex antecedenti ἐλθεῖν orta esse videtur, eieci, neque enim Archelaus, postquam advenit, de statu rerum certior factus est, sed quia, priusquam venit, opportunam sibi partium dissensionem compererat, venire non dubitavit.

27. ὅτι τοῖς πολλοῖς μὲν ἐπιχειρήσας, quod praebent codices, sensum omnino non exhibet. Quid enim haec sibi volunt: non cunctatus est cum infirmioribus potiores aggredi, nam sibi persuaserat, si potiores aggrederetur, nihil eorum, quae vellet, se effecturum? Immo: si inferiores aggrederetur, itaque scribendum est: τοῖς ὀλίγοις μὲν ἐπιχειρήσας.

28. ὡς τό LZ.

29. αὐτόν cod. αὐτός editi.

30. ἡμᾶς Reisk. Bekk. ὑμᾶς cod.

31. codicum lectionem πράσσειν Stephanus in πράξειν mutavit, ego infinitivum praesentis retineo, cum dicere orator videatur Archelaum iam nunc seditionem, quae in voto sit, alere.

32. οἴεσθαι AL.

33. ἡμῖν Reisk. Bekk. ὑμῖν cod.

34. ἐστίν om. Z.

35. ἀντιτιθέντες cod. Bekk. ἀντιθέντες editi.

36. μήτε cod. Bekk. μηδέ Reisk.

37. πολεμοῦμεν cod. Bekk. — πολεμοῦσιν Reisk., quem ego sequor, cum inter tertias personas ἀποθνήσκουσιν, κτῶνται, ἀποστεροῦνται persona prima πολεμοῦμεν ferri nequeat.

38. καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἡδονὴν καὶ τοῖς φίλοις συμφοράν om. LZ, Reisk.

39. δύνανται Ϛ. scil. οἱ τοὺς οἰκείους νικῶντες. δύναται cod. Bekk.

40. καθέστακεν L. καθέστηκεν Z.

41. τὸν διάλογον cod. Bekk. τὸν διαλλακτήν, vel τὴν διαλλαγὴν coniecit Stephanus. Cum verba quae sequuntur: οἱ γὰρ πλησίον οἰκοῦντες κ. τ. λ. nostro loco nomen actoris, notionem intercedendi et reconciliandi continens poscant, Stephani emendatio διαλλακτήν videtur accipienda, aut, quod ad elementa vocis διάλογον etiam propius accedit, διαλύσοντα scribendum esse.

42. ἐξαγομένων = ἐμπόρων, qui sibi necessaria a nobis petunt et e solo nostro aliorsum exportant. Reiske.

43. ἐκεῖνο Z.

44. ἀλλοτρίους, milites mercenarios, alienigenas. Reiske.

45. διαλύσομεν Z et pr. A.

46. παρόντες θεάσασθε cod. Bekk. Sed neque παρόντες ad auditores relatum sensum praebet, quos adesse consentaneum est, neque imperativus θεάσασθε suo iure stat, cum Archelaum huic contioni adesse cogitari non possit, cuius crudelitatis exempla iam exstare, non fieri ex insequentibus patet. Reiske παρόντα θεᾶσθε coniecit, ita ut παρόντα ad αἴτιον referatur. Quorum prius παρόντα accipio, pro θεάσασθε vero vel θεᾶσθε ἐθεάσασθε scribo.

47. οἱ δ' ἀνδρῶν LZ.

48. αἱ δέ ABL, Reisk. Bekk. οἱ δέ Z. οἱ δέ referendum est ad πατέρες καὶ μητέρες, itaque ego cum deteriore quidem codice masculinum posui.

49. οἱ μέν A. ὁ μέν BLZ. αἱ μέν Reisk. Bekk.

50. οἱ δ' AB. αἱ δ' LZ, Reisk. Bekk.

51. διαρπαζόμενα Reisk. Bekk. διαλεξόμενα AB. διαδεξόμενα LZ.

52. προσῆκεν Z, Reisk. Bekk. προσῆκον ceteri.

53. ἡ νεότης dedi pro codicum lectione ὡσαύτως, quod ex illo per scribae

errorem factum esse puto. Sensum satis bonum Reiskii quoque praebet emendatio, qui addi vult vocem ἡ ὀρφανία.

54. ἐθέλοντας ALZ. ἐθελοντάς B, Reisk. Bekk.

55. τούτους AB. τούτοις ceteri, Reisk.

56. τοῖς Πελοποννησίοις] αὐτοῖς μὴ πολεμίοις Z.

57. πολεμήσαντας cod. συμπολεμήσαντας Reisk. Bekk.

58. πολεμεῖν Z.

59. Nimis abruptum sententiarum connexum Reiskius paraphrasi explicari posse putat, ita ut fingat orator noster occurrentem sibi aliquem, qui recte dicat Archelaum fecisse arma sua cum Peloponnesiorum armis consociare recusantem contra Athenienses, a quibus nulla iniuria affectus fuisset. Quae tamen ratio explicandi mihi non satisfacit. Ut enim omittam nullum exstare signum dialogum hoc loco institui, vel hypophoram induci, non habemus, quod oppositum sit voci ἡμῖν δέ, et cum Archelai mentio tanto ante facta sit, obscurior manet oratio, quam ut sanum hunc locum esse putare possimus. Itaque lacuna statuenda et eis fere verbis explenda esse mihi videtur, quae supra uncis inclusi.

60. ἠδικούμεθα AB. ἀδικούμεθα LZ, Reisk. Bekk. cf. ἀλλ' ἀδικεῖσθαι μὲν φήσομεν;

61. ταὐτά AB. Reisk. Bekk. ταῦτα LZ.

62. βουλόμεθα ABL, Reisk. βουλησόμεθα Z, Bekk.

63. κακῶς AB. καλῶς LZ, Reisk. Bekk. — Πολλὴν ἄρα δειλίαν ποιήσομεν ironice dictum est, itaque cum optimis codicibus κακῶς scribendum.

64. ὑπέρ Z.

65. τὸν πρότερον Μηδικόν cod. Reisk. Vocem πρότερον Bekker uncis inclusit, ego delevi.

66. ἐπ' ἴσης coniecit Reiske, ἐπὶ πάσης cod. Bekk. Comparatio, quae sequitur, Reiskii emendationem comprobat, πᾶς enim notio est, cui gradatio, vel minutio adhiberi non possit.

67. ὑμετέραν A. ἡμετέραν ceteri, Reisk. Bekk.

68. θέλοντες ϛ.

69. ὅς μοι Reisk. Bekk. ὅ μοι ABL. ὅμοιον Z.

70. ἃ ἐγὼ λέγω τοῖς ἐναντιωσομένοις. εἴπερ ὁ λόγος κ. τ. λ. cod. Bekk. Melius distinxit Reiske: ἃ ἐγὼ λέγω. τοὺς γὰρ ἐναντιωσομένους, εἴπερ κ. τ. λ. Ipse quoque dativum τοῖς ἐναντιωσομένοις cum sequentibus (ἄξιόν ἐστιν) coniungo, quem cur in accusativum mutemus, non video, quid causae sit. Cum vero desit enuntiati copula, inter τοῖς et ἐναντιωσομένοις addo δέ, qua particula alterum enunciatum: τοῖς δ' ἐναντιωσομένοις, εἴπερ ὁ λόγος ἐκεῖνος ἰσχυρότατός ἐστιν, οὐκ ἄξιόν ἐστιν ἔτι φοβηθῆναι, — priori βέλτιστά ἐστιν, ἃ ἐγὼ λέγω opponitur, quod utrumque ex ὅτι particula pendere crediderim.

71. Quae adversarii obiciunt pertinent usque ad verba δουλεύειν ἑτέροις. κρείσσων hoc loco, ut paulo inferius, significat rem, quae anteferenda est alteri. μᾶλλον cum voce πρόσοικος coniungi non potest, propinquior enim hostis certe non facilius defenditur, quam remotus, — sed abundanter comparativum κρείσσων repetit, ut paulo inferius: οὐκοῦν κρεῖσσον στασιάζειν πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς μᾶλλον, ἢ δουλεύειν ἑτέροις. Itaque verba καὶ τοιοῦτος ὢν πρόσοικος arcte coniungenda sunt et totius enunciati hic est sensus: Archelaus, aiunt, quamvis infestus accola, melior socius est, quam Peloponnesii, etc. Post vocem πρόσοικος igitur virgula ponenda est.

72. ἀμύνασθαι ϛ.

73. ὑμᾶς αὐτούς cod. Reisk. Bekk.

74. *ἑτέρους* Z.
75. *χρῆν* coniecit Reiske. *χρή* cod. Bekk.
76. *Πελοποννησίους* cod. Reisk. Bekk. *Πελοποννησίοις* dedi de meo.
77. *τά* om. ς.
78. *τιθέασι* Z.
79. *τούτου* coniecit Reiske, scil. *Ἀρχελάου*. *τούτων* cod. Bekk. *τοιούτου* editi.
80. *γενομένοις* LZ, Reisk.
81. *πλησιεστάτους* ς.
82. *ἔχοντα* LZ.
83. *εἴπῃ*, quod praebent codices, muto in *εἴποι*.
84. *καθιστᾶσι*. *τοιαύτην* ABL. *καθισταμένην* Z.
85. *οὐ δή* ς.
86. *οὕτω* ς.
87. *μήτε* — *μηδέ* AB. *μηδέ* — *μηδέ* LZ, Reisk. *μήτε* — *μήτε* Bekk.
88. *ἀπεστερήθη τῶν* A. *ἀποστερηθέντων* BLZ.
89. *ἕως ἂν παράδειγμα θῆται* om. Z. *θῆται* A. Reisk. Bekk. *θῆτε* L. *μαθῆτε* ς.

90. *παρὰ δὲ ταῦτα, ἃ παρ' ὑμᾶς ἐστίν* ABLZ. *παρὰ δὲ ταῦτα παρ' ὑμᾶς ἐστίν*. Bekk. *πάντα δὲ ταῦτα παρ' ὑμῖν ἐστιν* coniecit Reiske. *πάντα δὲ ταῦτα παρ' ἡμῖν ἔστιν* dedi de meo.

91. *μὲν οὖν* L. *μὲν γὰρ* cet. Reisk. Bekk.

92. *μέν* cod. Reisk. Bekk. *δέ* dedi de meo.

ιοις

93. *Λακεδαιμονίους* AB. Bekk. *Λακεδαιμονιους* L. *Λακεδαιμονίοις* Z, Reisk.

94. *ἡμῖν* Bekk. *ὑμῖν* cod. Reisk.

95. *ἡμῶν* ABLZ, Bekk. *ὑμῶν* ς.

96. Verba: *ᾧ γὰρ ἡμεῖς ἰσχύομεν μάλιστα, οὐκ ὀλίγον διαφέρουσι, πλησίοι εἶναι αὐτῷ*, non bene sese habere videntur. Totus enim sententiarum connexus confusus est, et verba *πλησίοι εἶναι αὐτῷ* non suo loco stant. Malim transpositis enunciatis: *Καὶ Λακεδαιμονίους μὲν οὐκέτι πέφυκεν ἡμῖν ἐπιτίθεσθαι· ᾧ γὰρ ἡμεῖς ἰσχύομεν μάλιστα πρὸς Ἀρχέλαον, πλησίοι εἶναι αὐτῷ, οὐκ ὀλίγον διαφέρουσιν. πόῤῥω γὰρ οἰκοῦσιν· ἀφ' ἡμῶν, ἀπαράσκευοί τ' εἰσὶ πρὸς τὴν χώραν. πρῶτον μὲν οὖν οὐκ εἰκότως ἐπιβουλεύουσιν, κ. τ. λ.*

97. *μὲν οὖν* Reiske mavult. *μὲν γάρ* cod. Bekk.

98. *ἐγχωροῦσιν* ABLZ. *ἐγχειρῶσιν* Reisk. Bekk.

99. *καί* om. Z.

100. *μέν* om. Z.

101. *τῶν πάντων* coniecit Bekker. *τῶν παίδων* cod.

102. *κρατήσαιμεν* Z.

103. *προσήκουσι* Steph. Reisk. *παρήκουσι* cod. Bekk.

104. *πολεμίοις* Z.

105. *εἰ εἰς τοῦτο* coniecit Reiske. *εἰς τοῦτο* cod. Bekk.

106. *τὸν λόγον* Steph. Reisk. Bekk. *τῶν λόγων* cod.

107. *τοῦτο* Z.

108. *τόν* om. LZ, Reisk.

Caput II.

Num ab Herode re vera conscripta sit oratio *Περὶ Πολιτείας* quaeritur.

Cum omnium codicum consensu haec nostra oratio ad Herodem referatur, vix cuiquam dubitatio mota esset, quin re vera ab Herode esset composita, nisi splendidissima maximam partem testimonia veterum scriptorum nimiam nobis movissent de Herodis vi et copia dicendi exspectationem. Ita apud Philostratum p. 564 a Graecis Herodes *εἷς τῶν δέκα* appellatur, a sophistis aequalibus Adriano et Rufo p. 586 et 598 *βασιλεὺς τῶν λόγων* et *Ἑλλήνων γλῶττα*. In inscriptione Triopea deinde II v. 36, 37 haec leguntur:

Ἑλλάδι δ' οὔτε γένος βασιλεύτερος, οὔτ' ἔτι φωνήν
Ἡρώδεω· γλῶσσαν δέ τέ μιν καλέουσιν Ἀθηνέων.

Ipse Philostratus p. 564 sq. hanc eloquentiae Herodeae descriptionem nobis tradidit: *ἡ δὲ ἁρμονία τοῦ λόγου ἱκανῶς κεκολασμένη καὶ ἡ δεινότης ὑφέρπουσα μᾶλλον, ἢ ἐγκειμένη, κρότος τε σὺν ἀφελείᾳ καὶ κριτιάζουσα ἠχὼ καὶ ἔννοιαι οἷαι μὴ ἑτέρῳ ἐνθυμηθῆναι, κωμική τε εὐγλωττία οὐκ ἐπέσακτος, ἀλλ' ἐκ τῶν πραγμάτων, καὶ ἡδὺς ὁ λόγος καὶ πολυσχήματος καὶ εὐσχήμων καὶ σοφῶς ἐξαλλάττων, τὸ πνεῦμά τε οὐ σφοδρόν, ἀλλὰ λεῖον καὶ καθεστηκός, καὶ ἡ ἐπίπαν ἰδέα τοῦ λόγου χρυσοῦ ψῆγμα ποταμῷ ἀργυροδίνῃ ὑπαυγάζον. προσέκειτο μὲν γὰρ πᾶσι τοῖς παλαιοῖς, τῷ δὲ Κριτίᾳ καὶ προσετετήκει καὶ παρήγαγεν αὐτὸν ἐς ἤθη Ἑλλήνων τέως ἀμελούμενον καὶ περιορώμενον. .... ὁ δὲ τὰ ξύμπαντα ἄριστα τῶν σοφιστῶν διέθετο καὶ τὸ παθητικὸν οὐκ ἐκ τῆς τραγῳδίας μόνον, ἀλλὰ κἀκ τῶν ἀνθρωπίνων συνελέξατο.* Habemus praeterea Suidae testimonium s. v. Herodes: *ἔγραψεν ἐφημερίδας, σύγγραμμα πολυμαθές, καὶ ἐπιστολὰς καὶ λόγους αὐτοσχεδίους· φέρονται δὲ καὶ ἄλλα πλεῖστα, ἐν οἷς τὸ μεγαλοφυὲς καὶ ὕψιστον τοῦδε τοῦ ἀνδρὸς θεωρεῖται καὶ κατανοεῖται καὶ καταδείκνυται.* — Apud Gellium denique haec sunt: N. A. I 2: Herodes Atticus, vir et Graeca facundia et consulari honore praeditus. Ibid. IX 2: Ad Herodem Atticum, consularem virum, ingenioque amoeno et Graeca facundia celebrem, adiit palliatus quispiam. Ibid. XIX 12: Herodem Atticum, consularem virum, Athenis disserentem audivi Graeca oratione, in qua fere omnis memoriae nostrae universos gravitate atque copia et elegantia vocum longe praestitit.

Cum sine dubitatione his testimoniis orationem sub Herodis nomine adhuc traditam metirentur, plures viri docti eam genuinum Herodis ingenii monumentum esse negaverunt et orationem, Herode indignam, opus sophistae anonymi esse, Herodis nomen ementiti, con-

tenderunt. Quam sententiam primus protulit Fiorillo in libri sui, qui inscribitur: Herodis Attici quae supersunt, praefatione p. 6. Ipsam, inquit, si orationem sub Herodis nomine adhuc venditatam examinamus, linguam videmus multas contraxisse sordes ab illorum temporum, quibus sermonis pura indoles elegantiaque naturalis perierat, contagione. Quare, qui diurna cum optimis Atticis oratoribus familiaritate contracta, ingenuam et amabilem Graecae Suadae faciem norunt et unice diligunt, eos Anonymi, Herodis nomen mentiti, eloquentia parum delectabit. Fiorilli sententiam secutus Schoell in libro suo, Geschichte der Griechischen Literatur II p. 466, ut tueatur Herodis gloriam, sperat orationem nostram potius sophistae anonymi, vel grammatici opus esse. Cautiorem sententiam Westermann, Geschichte der Griechischen Beredsamkeit p. 203, protulit. Recte v. d. monet testimonia illa illius aetatis rationibus et voluntate circumscripta et moderata esse, cum tamen scripta Herodis deperdita sint et hanc nostram orationem ab Herode profectam esse minime constet, in testimoniis illis nobis esse acquiescendum censet.

Schoellii iudicium Herodis gloriae inservit, at nobis nullius unquam ad laudem vel infamiam quaestio diiudicanda, sed veritas indaganda est. Itaque cum argumentis non confirmata sit, sententiae eius refutatione non opus est.

Non multo probabiliores rationes suut, quibus commotus Fiorillo genuinam esse orationem nostram negavit. Fieri enim non potest, ut ad hanc quaestionem diiudicandam in optimorum Atticorum sermonis pura indole elegantiaque naturali norma et mensura quaeratur, etiamsi aequales Herodem cum Demosthene comparaverint (Philostr. p. 539: εἷς, ὡς Δημοσθένης). Quod quidem recte iam Foss in commentatione de Gorgia Leontino p. 101 et mira ratione sibi repugnans ipse Fiorillo monuit, qui sine scrupulo Eichstaedtii hanc annotationem in eundem suum librum recepit (p. 11 n. 15): In primis amabat Herodes extemporale dicendi genus, quod sophistis illius aetatis maxime placuisse scimus, tanto ille magis recedens a nativa simplicitate et elegantia Attica, quanto studiosius fucum et pigmenta orationis sectaretur coloremque et ornamenta e longinquo arcesseret, doctrina potius, quam ingenio valens. Eandemque indolem referunt duo illa carmina, quae Herodi ut plurimum adscribuntur.

Non autem licere Herodem, quamvis celebratum summa aequalium admiratione, cum optimis Atticis oratoribus comparare luculentissime Aristidis, Herodis discipuli, exemplum demonstrat.

Quamvis enim Socratis et Platonis et Thucydidis et Demosthenis facultatem dicendi aequare vel superare multis, et sibi ipsi per somnium ἀήττητος περὶ λόγους et alter esse Demosthenes visus sit (Fabric.

b. Gr. IV p. 13), nemo hodie cum Demosthene Aristidem comparabit, nedum orationes eius genuinas esse neget, cum exspectationi ab ipso concitatae non respondeant.

Immo in diiudicanda quaestione nostra recordari oportet linguam alterius saeculi p. Chr. n., quo florebat Herodes, a pura indole et elegantia Atticorum longe recessisse, et eloquentiam, quamvis florem eruditionis et studiorum eius aetatis altiorum atque artium quasi palaestram, tamen de prioris praestantiae fastigio delapsam fuisse. Neque illud praetermittendum est, quod Kämmel in commentatione sua de Herode, Neue Jahrb. f. Philol. u. Pädag. 102 p. 20, monuit, apud hos oratores ex tempore dicentes plurimum positum fuisse in actionis vi et praesenti effectu, qua de causa ad orationes scribendas et emittendas minorem curam contulisse.

Qua opinione de linguae venustate et dicendi facultate, id quod iam Westermann monuit et Aristidis exemplum confirmat, nimirum sophistae quoque Herodis aequales utebantur, quorum nimias de Herodis dicendi facultate laudes Philostratus nobis tradidit.

Idem demonstrat testimoniorum illorum inspectio accuratior et comparatio, quae simul rationem nobis suppeditat, qua quid eorum in opinione aequalium positum sit, et quid laudis in aliorum comparatione versetur, discernere possimus, et veram normam ad recte existimandam eloquentiam Herodis adipiscamur.

Sunt enim testimoniorum genera tria:

I. Laudes sophistarum apud Philostratum, quae in opinione et comparatione aequalium versantur, quibus Gellii et Suidae iudicia accedunt.

II. Luciani iudicium, quod et ipsum in opinione positum et singula non secutum, sed in universum prolatum ex Rhetorum praeceptore (*Ῥητόρων διδάσκαλος*) percipitur. Quod quidem iudicium sophistarum cum laudibus non convenit. Licet enim Lucianus, quod recte monet Kämmel l. c. p. 18, saepius cum honore Herodis mentionem faciat, et etiamsi Rhetorum praeceptor ad Herodem non spectet, tamen eum Herodis artem non magni facere apparet.

III. Ipsius Philostrati descriptio, quae in Herodis dicendi ratione et proprietatibus versatur.

Quorum trium generum primum et alterum iam ideo, quod in opinione et aliorum comparatione posita et in universum prolata causas et singulas proprietates non afferunt, non multum valent et prorsus nullius momenti sunt, quia inter se et cum Philostrati testimonio non consentiunt. Inter se ea non consentire apparet, cum ceteris aperte repugnet Luciani iudicium, quod ne dicam maioris,

tamen eiusdem momenti est. — Philostrati vero auctoritati sophistarum testimonia illa splendidissima repugnare intelligitur, si reputamus ab Herode, qui teste Philostrato Critiam maxime sequebatur et dicendi vi utebatur blanda magis et subrepenti, quam vehementer instanti et gravi, facultatem dicendi exspectari non posse, quae sophistarum illo *βασιλεὺς λόγων* et quae sunt similia digna sit.

Restat igitur ceteris testimoniis reiectis descriptio, quam simplicem et in Herodis ratione dicendi versantem exhibet Philostratus, qua nos usi norma quasi et mensura certis notis definita eloquentiae Herodeae effingemus imaginem, cui num respondeat haec nostra oratio, subsequenti quaestione diiudicandum erit.

Philostrati descriptione docemur Herodem in componendis orationibus medio quodam et satis temperato dicendi genere usum esse (*ἡ δὲ ἁρμονία τοῦ λόγου ἱκανῶς κεκολασμένη*), sermonem eius fuisse suavem et venustum, figurarum ornamentis abundantem, verborum structuram prudenter commutantem (*καὶ ἡδὺς ὁ λόγος καὶ πολυσχήματος καὶ εὐσχήμων καὶ σοφῶς ἐξαλλάττων*). Figurarum copiam saepius commemorat Philostratus, velut p. 625: (*Αἰλιανὸς*) *ἐθαύμαζε δὲ τὸν Ἡρώδην ὡς ποικιλώτατον ῥητόρων*, — et p. 592: (*Χρῆστος*) *τὴν δὲ ἰδέαν τῶν λόγων πεποίκιλται ἐκ τῶν Ἡρώδου πλεονεκτημάτων*. Dicendi vis et impetus blandus magis erat et subrepens, quam graviter incumbens, spiritus autem non vehemens, sed lenis et constans (*καὶ ἡ δεινότης ὑφέρπουσα μᾶλλον, ἢ ἐγκειμένη, — τὸ πνεῦμά τε οὐ σφοδρόν, ἀλλὰ λεῖον καὶ καθεστηκός*). Magnificentia coniuncta erat cum simplicitate (*κρότος τε σὺν ἀφελείᾳ*) et affectus movendi artificio utebatur non solum ex tragoedia hausto, sed etiam ex ipsa rerum humanarum conditione comparato (*καὶ τὸ παθητικὸν οὐκ ἐκ τῆς τραγῳδίας μόνον, ἀλλὰ κὰκ τῶν ἀνθρωπίνων συνελέξατο*). Sententiae, quae non alteri in mentem venirent, non deerant et facete dicta non e longinquo arcessebantur, sed ex ipsa re profluebant (*καὶ ἔννοιαι οἷαι μὴ ἑτέρῳ ἐνθυμηθῆναι κωμικὴ τε εὐγλωττία οὐκ ἐπέσακτος, ἀλλ' ἐκ τῶν πραγμάτων*). Quod denique voluntatem propriam et iudicium, vel potius iudicii inopiam Herodis et aequalium significat, comperimus Herodem omnibus antiquis oratoribus operam dedisse et maxime Critiam imitatum esse, quem diu neglectum ex temporum oblivione in aequalium familiaritatem revocaverit. Quae res cum multum valeat ad accuratius definiendam et amplificandam normam et imaginem eloquentiae Herodeae, non alienum videtur esse ab hac quaestione hoc loco eloquentiae Critianae imaginem brevi repraesentare, quam Blass in libri sui, quem inscripsit Attische Beredsamheit, tomo I p. 265 sq. luculentissime descripsit.

Critias igitur inter iunioris Atticismi auctores numeratur. Digni-

tati autem et gravitati sententiarum, formae simplicitati maxime studebat et sententiis abundans solebat distincte. et asseveranter dicere. Sermone utebatur non dithyrambico illo Gorgiae, neque ad poetica verba declinanti, sed cotidiano, insolita et proprie Attica verba non intemperanter neque inepte immiscens. Quanquam brevitatis cuiusdam studiosus dissolute dicere amabat, tamen in cumulatis etiam et contortis enunciatis retinebat luculentam perspicuitatem, et figurarum ornamentis non quaesitis caute et temperanter utebatur. Fragmenta, quae supersunt admodum parva, sermonem simplicem, orationis cursum facilem et expeditum sine verborum comprehensione et numeris exhibent, saepe omni coniunctione soluta verborum structura et numerus sine dubitatione commutantur. In universum Critiae orationes simplices et ad fidem faciendam aptae vocantur, dicendi vero vim et impetum remissiorem et debiliorem, suavem tamen et lenem fuisse audimus. Affectum blandum denique non multum valere comperimus, sed sub defendendi specie vehementer invehi in adversarios Critiam et in inveniendo et eloquendo novum et audacem esse solere.

Qua cum descriptione eloquentiae Critianae, quae magnam partem ex Philostrato hausta est, eiusdem testimonium de Herodis dicendi genere et Critiae imitatione consentire apparet. Una tantum exstat dissensio in figurarum ornamentis usurpandis, quibus Critiam temperanter, Herodem abundanter usum esse audimus. — Quae cum ita sint, docemur Philostrati testimonium ex ipso Herodis orationum aspectu haustum esse et fidam veramque earum imaginem nobis praebere certis notis descriptam, qua nos usi mensura hanc nostram orationem recognoscere possimus.

Iam igitur quaerendum est, quatenus descriptum Herodis dicendi genus in universum in nostra quoque oratione reperiatur, et quatenus singularum proprietatum exempla afferantur, quae quidem propter exiguitatem orationis copiosa esse non possunt.

Sermone noster cotidiano et simplici utitur, cui Atticae nonnullae formae immiscentur. Ita reperiuntur forma contracta *θἄτερον* et formae per *σσ* expressae, ubi recentiores *ττ* ponunt, velut: *πράσσειν*, *κρείσσων*. Praepositiones *εἰς* et *σύν* semper hac recentiore forma usurpantur et verba *γιγνώσκειν* et *γίγνεσθαι* semper *γινώσκειν* et *γίνεσθαι* scribuntur, exceptis singulis formis *τοῖς ἐπιγιγνομένοις* et *τὰ γιγνωσκόμενα*, quas quidem nescio an codicum auctoritas satis tueatur.

Verba poetica et insolita pauca sunt, in quibus translationes satis audaces *χωρίον* et *εὕρημα*, quae significant utilitatem hostibus ex seditione oblatam, et vox *σκληρός*. Poeticum quendam colorem

coniuncta quoque adiectiva affectant, velut: *τὸ σύμμαχον ἐγγενές*, et enunciationes splendore et copia quadam insignes, velut: *θεωροὶ κατέστησαν, τὴν ἡμετέραν διδασκαλίαν ἐπιστάμεθα, ἐθελοντὰς ὁμολογῆσαι συμπολεμεῖν*. Eiusdem denique generis est hyperbole: *οἶμαι ἡμᾶς οὐδ' ἂν εὐχομένους ἄλλως εὔξασθαι πολιτεύεσθαι.*

Compositio orationis media est quaedam, propior tamen *εἰρομένῃ*, quae vocatur, quam *συνεστραμμένῃ*. Breviores plerumque, absolutas sententias complexi, soluti et per se stantes ponuntur circuitus. Contorta nimis et cumulata enunciata non occurrunt et oratio sponte in suas partes discedit. Ratio et coniunctio periodi contrariis maxime et contentionibus efficitur, quae uno fere tenore et sine variatione ad finem prooemii pertinent. Ipsa oratio solutiore etiam compositione utitur et primum statim enunciatum exemplum compositionis, quam dicunt commaticam, praebet. *Ἡμεῖς μὲν γάρ* enim inconcinne dictum est, *μέν* particulam *δέ*, quod respondeat, non sequitur, sed alterum membrum enunciati, quod multo latius patet, *τέ* particula annectitur. Quam quidem componendi rationem commaticam et solutam per totam orationem valere longum et supervacaneum est demonstrare, cum facile appareat. Si, quod rarius accidit, maiores partes in unum circuitum comprehendere conatur noster, ad coniungenda membra, quae sibi respondent, particulae quidem adhibentur, ipsorum vero membrorum congruentia expeditiori et vividiori, saepe etiam plane solutae structurae sine dubitatione posthabetur et condonatur. Ita in enunciato: *ἠπίστατο γάρ, ὅτι τοῖς ὀλίγοις μὲν ἐπιχειρήσας οὐδὲν ἂν ἔπραξεν, ὧν ἐβούλετο, (τοὺς γὰρ ἀσθενεστέρους συγκαταπολεμήσας οὐκ ἄρξειν τῶν πλειόνων ἔμελλεν, ἱκανοὶ γὰρ ἦσαν ἂν αὐτὸν ἀμύνασθαι)· εἰ δὲ τοὺς πολλοὺς μετὰ τῶν ὀλίγων καταστρέψαιτο, ῥᾳδίως ἁπάντων ᾤετο κρατήσειν*: membra sibi respondentia particulis *μέν* et *δέ* laxe coniunguntur. Tamen priori duo cola, quorum utrumque *γάρ* particula incipit, adduntur, quibus interpositis et structura participiali (*ἐπιχειρήσας*) cum alia commutata (*εἰ καταστρέψαιτο*) alacritati et simplicitati nativae omnis congruentia condonatur. — Eandem maioris enunciati comprehendendi rationem solutam, ut alia praetermittam, sub finem orationis hoc exemplum praebet: *Εἰ δὲ καὶ τόνδε τις τὸν λόγον λέξει, ὡς Ἀρχέλαος παῖδας ἔχει καὶ διὰ τοὺς παῖδας οὐχ οἷόν τε συμπολεμεῖν, πρῶτον μὲν ἄξιον θαυμάσαι τοῦτον, ὅστις περὶ μὲν δέκα παίδων λέξειε, περὶ δὲ τῶν ἁπάντων οὐ λέγει, οὐδὲ περὶ τῆς πόλεως, καὶ τὸ μὲν τῶν πάντων συμφέρον ἀποστερεῖ, περὶ δὲ τῶν ὀλίγων καθίστησιν.* Cum dicat orator *πρῶτον μέν*, plures partes sibi respondentes in unum circuitum comprehendere velle videtur et poterat structuram inchoatam retinere, si dixisset: *ἔπειτα δὲ δῆλόν ἐστιν, ὅτι .... κρατήσομεν .... κ. τ. λ.*, tamen particula

δέ, quae illi *πρῶτον μέν* respondeat, non sequitur. Plane soluta et disiecta haec est enunciatio: *οὐ παῖδες καὶ γυναῖκες καὶ πατέρες γέροντες καὶ μητέρες θεωροὶ κατέστησαν ἀποθνησκόντων, οἱ μὲν πατέρων, αἱ δ' ἀνδρῶν, οἱ δὲ παίδων, οἱ μὲν ἐν ταῖς αὐτῶν χερσὶ τελευτώντων τὸν βίον, οἱ δ' ἐν τοῖς πολεμίοις διαφθειρομένων; οἰκίας δὲ κατασκαπτομένας καὶ χρήματα διαρπαζόμενα; κ. τ. λ.* Ut graves et impediti genitivi pluralis numeri vitentur, ad accusativum transit orator pendentem ex videndi notione, quae illo *θεωροὶ κατέστησαν* continetur. — Minora etiam enunciata sine dubitatione structurae commutationem admittunt, velut: *καὶ τοὺς μὲν ἀλλοτρίους νικῶντες ἑτέρους κτῶνται φίλους, ὅταν δὲ τοὺς οἰκείους, ἀποστεροῦνται καὶ τῶν ὑπαρχόντων*, ubi non solum structura participii in *ὅταν* cum coniunctivo mutatur, sed etiam brevitatis causa hic coniunctivus omittitur et ex participio supplendus est.

Eadem est libertas et varietas in formarum et articuli usu, ita *πλείονας* et *πλείους*, *πόλεμος* et *ὁ πόλεμος*, *εἰρήνη* et *τὴν εἰρήνην* prope et promiscue exstant.

Brevitatis species multis contrariis, interrogationibus, responsionibus, adversariorum contradictionibus per hypophoram inductis, asyndetis crebris augetur, quorum exempla hoc loco afferre non opus est, cum de iis, ubi de figuris quaestio erit, pluribus disserendum sit. Dedita vero opera oratorem nostrum brevitati studere apparere mihi videtur, si haec enunciata consideramus: *γινώσκοντες, ὅτι τὸ φύσει πολέμιον τῷ μὴ δύνασθαι κακὰ δρᾶν ἡσυχίαν ἄγει*, — et: *ἱκανὴ πρόφασίς ἐστι πολεμίους νομίζειν τοὺς μὴ συμπολεμήσαντας αὐτοῖς.*

In hiatu vitando et admittendo norma et ratio constans valere non videtur. Codices, quorum hac quidem in re haud magna est auctoritas, totidem fere hiatum admittunt, quoties usi elisione et crasi vitant. Inter hiatus admissos non pauci sunt graviores, velut: *τύχη ἄνευ*, — *πρὸ ἡμῶν*, — *εἴποι ἀλλ'*, — *προσήκει ὀλιγαρχίας*, — *πειθόμενοι οὖν*, — *τοῦτο ἥξουσι*, — *ἄρχοντα οὐδένα*, — *κυριώτερα ἡγεῖσθαι.* Minor est offensio in his, quibus virgula interposita est: *ἀμύνασθαι, εἰ* — *εἶναι, ὅσωπερ* — *ἀσθενέστεροι, ὅπως* — *ὑπερβάλλει, ὅσωπερ* — *γένωνται, οἱ* — *ἰσχυροί, ὅπως* — *ἀπολέσαι; ὅτε* — *δοῦναι, ὅπως* — *λέξει, ὡς.* Elisione et crasi quinquagies circiter hiatus vitatur et toties fere admittitur.

Figurarum ornamentis copiose et abundanter utitur noster. Contraria totum opus implent, quorum haec sunt exempla: *Διότι μὲν ἀνάγκη λέγειν καὶ τηλικοῖσδε καὶ μὴ πολὺ νεωτέροις περὶ τοῦ παρόντος πράγματος, ἔχω λέξαι· διότι δὲ εἰκός ἐστι σιωπᾶν ἔχοντα λέγειν, οὔτε παρ' ἄλλου δύναμαι μαθεῖν, οὔτε αὐτὸς ἐξευρίσκω.* — *τοῦ μὲν οὖν λέγειν πολλὰς ἀνάγκας εὑρίσκω, τοῦ δὲ σιωπᾶν οὐδεμίαν ὁρῶ*

συγγνώμην. — *οὐ γὰρ ἀδικούμενος ὑφ' ἡμῶν, ἀλλ' ἀδικεῖν βουλόμενος ἐχθρὸς ἡμῖν ἐστιν,* contrarium minus artificiosum, quia neglecta congruentia et aequalitate quod commune est utriusque membri posteriori tantum apponitur, praeterea annominationis, quae dicitur paronomasia, exemplum praebet. — *ἣν διὰ μὲν τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν ἕξει,* — *διὰ δὲ δύναμιν ἄκων ἀποδώσει,* contrarium cum homoeoteleuto, quod efficitur syllabis similibus in ultima parte membrorum collocatis. — *τὰ κοινα μὲν ἴδια ποιοῦντες, τὰ δὲ τῶν ἰδιωτῶν κοινά,* contrarium, cuius membra ex diverso collocata, quod chiasmum grammatici appellant, annominationem praebent. — *ᾧ προσῆκεν ἐπαμῦναι κατά γε νόμον, ἀλλὰ μὴ παρανόμως ἀπολέσαι,* eadem figura cum parechesi membrorum externorum et annominatione internorum. — *ἀλλ' ἀδικεῖσθαι μὲν φήσομεν, ἀμύνεσθαι δ' οὐ βουλόμεθα;* contrarium, parison cum parechesi verborum *ἀδικεῖσθαι* et *ἀμύνεσθαι.* — *ἀλλὰ βούλεσθαι μέν, δύνασθαι δ' οὔ;* eadem figura. — *ἐχθροὺς δὲ νομίζειν τοὺς ἀδικοῦντας, φίλους δὲ τοὺς ἐπαμύνοντας,* contrarium cum homoeocatarcto et homoeoteleuto, cum initia et fines membrorum eodem modo cadant. — *ἀπιστεῖν δὲ τοῖς φίλοις, πιστεύειν δὲ τοῖς ἐχθροῖς,* contrarium cum annominatione, homoeocatarcto, homoeoteleuto.

Alias figuras, quae occurrunt, hoc loco, cum enumerare longum sit, exemplis illustrare liceat: *οὐ γὰρ ἄδικον, εἴπερ ὁ τάδε δράσας οὐκ ἀδικεῖ,* — *ἐὰν πρὸς ταῦτά τις ἀντιλέγῃ, τοσαῦτά μοι λελέχθω,* — *μόνοι τῶν Ἑλλήνων εἰς τὴν Ἑλληνίδα συμμαχίαν οὐ συναριθμησόμεθα,* — *χώραν πλείστην καὶ πλεῖστα δυναμένην,* — *δεινόν ἐστι τούτους κοινῇ τρέφειν, οἳ τὴν πόλιν οὐ κοινὴν ἡμῖν παρέχουσι,* annominationes.

ἁρπαγὴν δὲ χώρας καὶ χρημάτων φθορὰν καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἡδονὴν καὶ τοῖς φίλοις συμφοράν, polysyndeton, parechesis, homoeoteleuton. — *καὶ ὅτι ἀγαθόν ἐστι, καὶ ὅτι χαλεπόν,* paromoeon cum anaphora. — *ὁπότε τύχοι τῶν αὐτῶν ἱερῶν κοινωνῶν ὁ ταῦτα δρῶν καὶ τῆς αὐτῆς φυλῆς ὤν,* parechesis, — *τούτων πάντων καὶ ἑτέρων πολλῶν,* eadem figura. — *Κορινθίους αὐτονόμους ὄντας καὶ τῶν ἑαυτῶν κρατοῦντας, Ἀχαιοὺς δὲ πρὸς τούτοις οὔτε πλείονας ὄντας ἡμῶν, οὔτε κατὰ πλείους οἰκοῦντας, Ἠλείους δὲ καὶ Τεγεάτας καὶ τοὺς ἄλλους Ἀρκάδας, ἀστυγείτονας ὄντας; ἐνθ' οὐδεὶς εὕρηκέ πω Λακεδαιμόνιον ἄρχοντα, ὥσπερ οὐδ' ἐνθάδε Μακεδόνα· πολιτείας δὲ πανταχοῦ καὶ νόμους ἐπιστάμεθα κειμένους καὶ τὰ κοινὰ κοινῇ καρπουμένους,* parechesis, homoeoptoton, anaphora. — *καὶ πιστεύειν μὲν τοῖς ὠφελοῦσι, ὀῤῥωδεῖν δὲ τοὺς μὴ τοιούτους,* — *ὠφελεῖν δὲ τοὺς ἀδικοῦντας, φεύγειν δὲ τοὺς βουλομένους ὠφελεῖν,* — *πειθόμενοι οὖν ...... δεξάμενοι δέ ......* homoeocatarcta.

Asyndeta saepius usurpantur. Ita distractione usus satis dura, quam *ἀπόστασιν* vocant grammatici, ex prooemio ad causam adgreditur noster: *πρῶτον μὲν ὡς ἀγαθόν ἐστι κ. τ. λ.*, et eodem modo adversariorum quaedam dubitatio inducitur: *ἴσως ἂν τις εἴποι .. κ. τ. λ.*

Asyndeta leniora haec sunt: *μία μὲν αὕτη πρόφασις, — διὰ ταῦθ' ἡμῖν ἐκεῖνος ἄχθεται, — οὕτω μὲν αὐτὸν βούλεσθαι πέφυκεν, — τούτων πάντων καὶ ἑτέρων πολλῶν, — διδάξομεν αὐτοὺς ταὐτὰ δρᾶν, — πολὺν χρόνον ποθοῦντες, ὀλίγον χρόνον ἰδόντες, — τοιαύτην γε, οἵαν ἡμεῖς . . ., — ταῦτα ἀνάγκη τὸν λόγον τὸν τῶν ἀντιλεξόντων δύνασθαι.*

Polysyndeti exemplum iam attuli, alterum hoc est: *παῖδες καὶ γυναῖκες καὶ πατέρες γέροντες καὶ μητέρες θεωροὶ κατέστησαν, κ. τ. λ.* — Anaphora identidem occurrit, cuius praeter iam allata haec sunt exempla: *οἱ μὲν ἀσθενέστεροι . . ., οἱ δ' ὅμοιοι . . ., οἱ δ' ἰσχυροί . . ., — οἱ μὲν πατέρων, αἱ δ' ἀνδρῶν, οἱ δὲ παίδων, οἱ μὲν . . ., οἱ δὲ . . ., οἰκίας δὲ . . ., — ἐν μὲν γὰρ τῷ ξενικῷ πολέμῳ . . ., ἐν δὲ τῷ πολιτικῷ . . . — ἐὰν δ' ἐγχειρῶσιν . . ., ἐὰν δὲ προγινώσκωμεν . . .* Duo praeterea exempla, quae latissime patent, praebet epilogus.

Inter sententiarum figuras mentio iam facta est interrogationis et responsionis, vel praesumptionis, quarum exempla pro exiguitate orationis multa sunt, velut: *καίτοι πῶς οὐ δεινὸν τούτους κοινῇ τρέφειν, οἳ τὴν πόλιν οὐ κοινὴν ἡμῖν παρέχουσι;* deinde: *τί γὰρ οὐκ ἐγένετο τῶν μεγίστων κακῶν;* et: *νῦν δὲ τί φήσομεν; αὐτοὶ γὰρ ἥκουσιν ὑπὲρ ἡμῶν καὶ τῆς ἡμετέρας ἐθέλοντες κινδυνεύειν.* Formae etiam artificiosissimae interrogandi, quam *ὑποφοράν* dicunt, exstat exemplum. Interrogatio generalis: *ἡμῖν δὲ τίς λόγος ὑπολείπεται;* in plures partes dividitur, quarum cuique per anaphoram particulae *ἀλλά* inductae responsio vel refutatio additur: *πότερον ὡς οὐκ ἀδικούμεθα; — διδάξομεν αὐτοὺς ταὐτὰ δρᾶν, ἅπερ ἐκεῖνος. . . . . . ἀλλ' ἀδικεῖσθαι μὲν φήσομεν, ἀμύνεσθαι δ' οὐ βουλόμεθα; πολλὴν ἄρα δειλίαν ποιήσομεν . . . . . ἀλλὰ βούλεσθαι μέν, δύνασθαι δ' οὔ; τίς οὖν οὐ καταφρονήσει τῆς δυνάμεως ἡμῶν κ. τ. λ.* Quae quidem figura summae alacritatis speciem et vivum quendam orationi colorem affert. Minus artificiosa, rhetorica tamen et quasi dramatica praesumptio est, si non quod obici possit per interrogationem dicentis, sed ipsa adversariorum verba inducuntur, quale est apud nostrum: *ἴσως ἂν τις εἴποι, ἀλλ' ὀλιγαρχίαν ἁπανταχοῦ καθιστᾶσι. τοιαύτην γε, οἵαν ἡμεῖς εὐχόμενοι πολὺν χρόνον καὶ ποθοῦντες . . . . . ἀφῃρέθημεν.*

Occurrit inter sententiarum figuras ironia quoque: *πολλὴν ἄρα δειλίαν ποιήσομεν τοῖς βουλομένοις ἡμᾶς κακῶς δρᾶν*, et altero loco *φυλασσόμεθα ξένους* et ipsum videtur ironice dictum esse, quae exempla *κωμικήν* illam Herodis *εὐγλωττίαν* redolent, quippe quae et acerbas et iocosas facetias significare possit.

Quam figurarum copiam Philostrati testimonio prorsus satisfacere apparet. Dicendi vero rationem ornamentis e longinquo arcessitis adeo putidam et quasi obrutam ab hominibus summa laude celebrari, qui dicendi simplicitatem nativam et elegantiam ignorantes, et doctrina magis, quam ingenio valentes formae speciem tantum colerent, et suis viribus parum fisi omnique iudicio destituti imitandi causa ad primordia eloquentiae declinarent, non miraremur, etiamsi Herodem, quamvis in dicendo omnium principem appellatum, modica tamen vi et impetu dicendi usum esse nesciremus. Re vera graviore et vehementiore dicendi vi et spiritu nostra quoque oratio caret. Maxima enim eius pars in argumentatione versatur et progressum constantem et temperatum, qui eam decet, paucis modo locis paulo gravior et liberius evagatus orationis cursus subit. Possunt in his haberi, ubi de calamitatibus, quae ex seditione redundent, et de societate cum coniunctis Graecorum civitatibus adversus barbaros ineunda disseritur.

Eadem de causa grandi dicendi generi et affectus movendi artificio parcus est locus, exstant tamen exempla et eadem fere sunt, quae modo attuli, illud tragicum magis colorem praebens et ornamentis maxime instructum, hoc minus artificiose ex rerum conditione haustum.

Affectui blando ostendendo, quippe qui simplicem et sincerum animi sensum exprimat, multa iam figurarum ornamenta et ratio dicendi artificiosa obstant. Praeterea acerbis Archelai obtrectationibus et adversariorum refutationibus occisorum per seditionem miseratio et patriae Graecorumque studium et cura ratioque obsidum salutis habita paene obstrepuntur. Ex refutationibus illis una potissimum Critianam illam in defendendo acerbitatem invehendi referre videtur, ubi dicit noster: *Εἰ δὲ καὶ τόνδε τις τὸν λόγον λέξει, ὡς Ἀρχέλαος παῖδας ἔχει καὶ διὰ τοὺς παῖδας οὐχ οἰόντε συμπολεμεῖν, πρῶτον μὲν ἄξιον θαυμάσαι τοῦτον, ὅστις περὶ μὲν δέκα παίδων λέξειε, περὶ δὲ τῶν ἁπάντων οὐ λέγει . . . κ. τ. λ.*

Sententiarum dignitas et ubertas formae etsi ineptae, artificiosae tamen et splendidae minime respondet. Ipsa tamen iam causa, quae in societate Graecorum contra regem barbarum commendanda versatur, rem graviorem et digniorem proponit, quam qualem pleraeque huius saeculi nugae scholasticae praebent, neque vero explicatio disserendi alacritate, inveniendi sollertia, argumentandi acumine caret. Postquam paucis orator suum esse de causa proposita dicere comprobavit et arrogantiae crimen reiecit, enthymemate usus satis gravi ad ipsam causam accedit et ita quaestionem disponit, ut et utilem esse et necessariam societatem a se commendatam demonstrare sibi proponat. Postquam brevi deinde conditionem Archelai et civitatis

suae descripsit et Archelai fraudem et perfidiam enarravit, seditionem huius malis artibus concitatam omnino eiusdem utilitati servire demonstrat, qua seditione fieri, ut civitas opes suas alendis militibus mercenariis exhauriat et discordiis intestinis fracta omnique auctoritate et potentia destituta in contemptum hominum veniat et derideatur. Quas Archelai iniurias ut ulciscatur civitas et in posterum externarum civitatum potentiam et malas artes, discordiae civilis quasi fontes, prohibeat, utile esse societatem a Peloponnesiis oblatam inire.

Quod deinde necessarium esse demonstratur periculis a Peloponnesiis imminentibus, si reiciatur societas, asperitate iniuriarum ab Archelao illatarum, infamia denique apud Graecos subeunda, si una ex omnibus Graecorum civitatibus in societate Panhellenica non numeretur. — Brevi denique et sollerter quae adversarii timent, ne accepta societate Lacedaemoniorum in ditionem eorum redigatur civitas vel oligarchia ab iis instituatur, reiciuntur et de obsidum salute metus captiose quidem removentur. Epilogus acceptae societatis utilitatibus reiectae damna opponit per *ἀνακεφαλαίωσιν*, quam dicunt, et in fine brevis accipiendae societatis commendatio additur.

Pertinet igitur oratio nostra ad genus deliberativum, cuius cum teste Quintiliano III 8, 22, tres soleant esse partes: honestum, utile, necessarium, quas tamen omnes in omnem cadere orationem suasoriam non opus sit, Herodes duas ponit partes honestum necessario comprehendens. Qua in partitione sententiae, si minus graves et copiosae, apte tamen et commode et quasi dramatice interdum dispositae explicantur.

Saepius in sententiis, quae proprie vocantur, argumentatio exstruitur, velut: *οἷς γὰρ ὁ κίνδυνος οἰκειότατος γίνεται, τούτοις ἀναγκαῖόν ἐστι μάλιστα μέλειν. — τὸ φύσει πολέμιον τῷ μὴ δύνασθαι κακὰ δρᾶν ἡσυχίαν ἄγει. — ταῖς μὲν Ἑλλήνων πόλεσιν ἱκανόν ἐστι τὴν αὑτῶν δύναμιν διασῶσαι τοῖς ἐπιγιγνομένοις, τοῖς δὲ τυράννοις τοῦτ᾽ οὐκ ἀπόχρη μόνον, ἀλλὰ προσκαταστρέψασθαι δέονται τοὺς πλουσιωτάτους ἀεί. — ὁμολογεῖται γὰρ πόλεμος τῶν ἄλλων κακῶν τοσούτῳ μέγιστον εἶναι, ὅσῳπερ εἰρήνη τῶν ἀγαθῶν. — οἱ γὰρ πλησίον οἰκοῦντες οὐκ ἄχθονται στασιαζόντων τῶν πλησίον. — πῶς οὖν ἴσον ἐστὶ τοῖς μὲν ἤδη γεγενημένοις μὴ θυμοῦσθαι, τὰ δ᾽ εἰκαζόμενα φοβεῖσθαι μᾶλλον;* Propriae quoque sententiae et feliciter inventae non desunt, velut: *ἐγὼ γὰρ ἐβουλόμην μὲν ὑμᾶς αὐτοὺς τῶν ὑμετέρων ἀγαθῶν αἰτίους εἶναι μετὰ τῶν θεῶν· εἰ δὲ τοῦτο διατρίβετε καὶ δι᾽ ἄλλους εὖ πράττειν ἡδύ, δοκεῖ δή μοι θεῶν τινος ἐπιμελείᾳ γίνεσθαι τὸ γινόμενον.* In quibus gravissimum illud *δοκεῖ δή μοι* non est praetermittendum. Si enim Aristides Critiae illud

ἀλλ' ἔμοι γε δοκεῖ apud Xenophontem in δοκεῖ δ' ἔμοιγε commutasse traditur (Blass, Attische Beredsamkeit I p. 265), quippe quod confidentius et Critiae magis proprium esse putaret, Herodis δοκεῖ δή μοι aliquanto etiam gravius et confidentius dictum esse videtur. Inventionis deinde et elocutionis quaedam proprietas et novitas est, cum seditio in civitate externa Archelai quasi castellum et praesidium (χωρίον) appellatur, cum seditionis calamitates ita exprimuntur, ut per gradationem pacis, belli, seditionis conditiones describantur, cum accipiendae societatis necessitas Archelai exemplo demonstratur, cui eadem reiecta societas crimini sit, cum quae adversarii obiciunt conceduntur, ita tamen sollerter explicantur, ut oratoris sententiae suffragari videantur, — cum talia denique enthymemata inseruntur: καίτοι πῶς οὐ δεινόν ἐστι τούτους κοινῇ τρέφειν, οἳ τὴν πόλιν οὐ κοινὴν ἡμῖν παρέχουσι; — καὶ τούτων οὐκ οἶδ' ὅτι δεῖ σημεῖον ἄλλοθεν λαβεῖν· ἡμεῖς γὰρ τοῖς ἄλλοις σημεῖόν ἐσμεν. — οἶμαι μὲν οὖν ἡμᾶς οὐδ' ἂν εὐχομένους ἄλλως εὔξασθαι πολιτεύεσθαι etc. Grave illud Herodis δοκεῖ δή μοι iam allatum est. Eadem sui et causae suae confidentia haec suppeditat: τοῖς δ' ἐναντιουμένοις, εἰ εἰς τοῦτο ἥξουσι τόλμης, τἀναντία δεῖ δύνασθαι τὸν λόγον. Breviter affirmandi et asseveranter dicendi studium saepius cernitur, velut cum Archelaum spectans dicit: οὕτω μὲν αὐτὸν βούλεσθαι πέφυκεν ἡμᾶς στασιάζειν, vel Lacedaemonios significans, καὶ Λακεδαιμονίους μὲν οὐκέτι πέφυκεν ἡμῖν ἐπιτίθεσθαι ...... πρῶτον μὲν οὖν οὐκ εἰκότως ἐπιβουλεύουσιν· ἐὰν δ' ἐγχειρῶσιν, οὐ λήσουσιν· ἐὰν δὲ προγινώσκωμεν, οὐκ ἀμελήσομεν αὐτῶν. ὥστε οὐδαμῇ καλῶς αὐτοῖς ἐπιτίθεσθαι σχήσει. — Brevitate maxime asseverandi vis augetur in illo: οὐ γὰρ ἄδικον, εἴπερ ὁ τάδε δράσας οὐκ ἀδικεῖ, et similiter his verbis desinit oratio: ὧν ἐπάθομέν τε δίκην ληψόμεθα καὶ τὸ λοιπὸν οὐ πεισόμεθα τοιαῦτα.

Iam, quantum tantula ex re diiudicari potest, quaestio docere videtur, orationem nostram, quod linguam, compositionem, figurarum ornamenta, totam denique formam dicendi et proprietatem attinet descriptioni prorsus respondere, quam ex optimis veterum testimoniis haustam huic quaestioni praeposuimus. In sententiarum vero quoque vigore examinando concedendum erit Philostrati illud ἔννοιαι οἷαι μὴ ἑτέρῳ ἐνθυμηθῆναι de nostra oratione dici posse, si proprii ingenii inopiae rationem habemus, qua Herodis aequales laborabant. Ad aequales enim illud ἑτέρῳ spectare videtur, qui, cum proprietate et novitate dicendi egerent, formae egestatem veterum exemplorum imitatione compensare poterant et cupide studebant, sententiarum vero copiam et gravitatem neque indidem transferre neque ex suis publicae vitae conditionibus depromere poterant. Veterum autem

imitationem formam tantum dicendi spectare et Philostrati illud *κριτιάζουσα ἠχώ* et ea res docet, quod eius testimonium formae diligentem, sententiarum nullam fere rationem habet.

Cum autem sophistae Herodis aequales suae sententiarum inopiae ornamenta e longinquo arcessita et pannos quasi purpureos inicerent, illa his opposita conspicua magis et insignis fiebat et formae colendae studium in ineptias insulsas depravabatur.

Quae cum ita sint, et cum alia Herodis opera prosa oratione composita non exstent, quibuscum orationem nostram comparare et, num genuina sit, diiudicare possimus, ultra Westermanni iudicium progredi et contendere licebit, cum hac nostra quaestione codicum auctoritas confirmata sit, orationem nostram genuinam et re vera ab Herode compositam esse negari non posse.

Quo iudicio simul huius aetatis eloquentiae, quae aequalium summa laude celebratur, rectius existimandae normam nanciscimur.

Caput III.

Argumentum explicatur.

Sententiarum nexu rhetorica ex ratione iam adumbrato nunc orationis nostrae causa et argumentum accuratius explicandum est. Iuvenis, quem dicentem facit Herodes, Lacedaemoniorum rebus favet, ei scilicet reipublicae rationi, in qua penes optimates summa est potestas. Cum enim ab adversariis opponatur paucorum ubique imperia instituere Lacedaemonios et timendum esse, ne societate facta imperii proferendi studio commoti socios subigant et in ipsorum ditionem redigant, ab his suspicionibus variis exemplis allatis eos defendit et fautorem se esse aperte fatetur eius rei publicae rationis, cui Lacedaemonii studeant, in qua tertia civium pars armorum peritia vel alia facultate praestans rei publicae administrandae sit particeps. Quae cum ita sint, non errabimus, si optimatibus oratorem nostrum annumerabimus. Civibus igitur suis persuadere studet, ut societatem a Lacedaemoniis oblatam capessant, et ab iis adiuti Archelao, Macedonum regi, bellum inferant. Quinam autem sint cives et quaenam civitas, cum nominatim dictum non sit, ex argumenti indiciis et descriptionibus colligendum est. Et Canterus quidem orationi nostrae argumentum praescripsit hoc: Cum Lacedaemonii et Peloponnesii bellum cum Archelao, Macedoniae rege, gererent et Thebanorum societatem expeterent, hos ad eam capessendam hortatur. Putavit igitur v. d. Thebas civitatem esse, de qua agatur, et hanc senten-

tiam omnes vv. dd. secuti sunt, qui hanc quaestionem attigerunt (Reiske, Eichstaedt, Fabricius, Fiorillo, Schoell, Foss, Abel).

Quam tamen sententiam comprobari non posse, si accuratius rem consideraverimus, apparebit. Cum de fide historica orationis nostrae nondum quaesitum sit, contra Canteri sententiam congeri non potest argumentum eius rerum gestarum memoriae et temporibus prorsus repugnare. Cum vero Archelaus vicinus civitati nostrae vocetur (*καὶ τοιοῦτος ὢν πρόσοικος, τὰ πλησίον ὑπερορᾶν*), Lacedaemonii contra longe remoti et propterea non timendi (*ὀῤῥωδεῖν τὰ πόῤῥω, — πόῤῥω γὰρ οἰκοῦσιν ἀφ' ἡμῶν, ἀπαράσκευοί τ' εἰσὶ πρὸς τὴν χώραν*), cum porro orator a civitate sua exorsus et ad Lacedaemoniorum fines progrediens Phocios proxime Graecorum incolentes et tum demum Boeotos nominet, in quibus certe Thebani numerandi sunt, de Thebanis amplius cogitari non potest. Immo eadem civitatum enumeratione et situ necessario adducimur, ut civitatem nostram a septentrione Phociis finitimam esse putemus, et cum Archelao quoque finitima sit, Thessaliam esse, de qua agatur, contendere poterimus. Eodem ducimur regionis descriptione, quae latissima et uberrima Graeciae, locorum natura munitissima, belli subsidiis et equitatu maxime abundans, neglectis his praesidiis militibus mercenariis alendis opes suas exhaurire et propterea nullius momenti et auctoritatis esse dicitur. In Thessaliam deinde illud *πρὸς τὰς ἐνθάδε ὀλιγαρχίας* apte quadrat, quoniam omnis Thessalia in multas civitates paucorum arbitrio administratas divisa erat, et illud quoque, civitatem nostram belli Persici fuisse quidem non participem, voluisse tamen cum Graecis periclitari, si ipsius regio ab hostium impetu defensa esset, si scilicet Graeci ad Tempe Persas defendissent. Insequenti denique quaestione demonstrabitur seditiones nostra oratione descriptas et iniurias ab Archelao Thessalis illatas aliis veterum testimoniis confirmari et Lacedaemonios re vera rebus Thessaliae se immiscuisse, quippe qui Lycophronem, Pherarum tyrannum, adiuverint, cum Thessaliae dynastis, Archelai amicis, bellum inferret.

Iam vero nobis quaerendum est, utrum de universa Thessalia, an de una aliqua Thessaliae civitate cogitandum sit, quae quidem quaestio Herodis illo: *οὐδὲ περὶ τῆς πόλεως* ita diiudicatur, ut unam civitatem esse statuamus. Quanquam enim *ἡ πόλις* rem publicam significare potest, tamen complures civitates vinculo satis tenui et laxo sociatae, quales fuere Thessalorum, *ἡ πόλις* dici non poterant, sed alio verbo, quale est *τὸ κοινόν*, erant significandae. Comprobat hanc sententiam obsidum paucitas, an vero decem pueros totius Thessaliae obsequium satis promptum et fidum praestare visos esse verisimile est?

Praeter illud *οὐδὲ περὶ τῆς πόλεως* de regione (*χώρα*) tantum agitur, quae civium multitudine et oppidorum magnitudine Achaiam aequet, regio igitur nobis cogitanda est, quae urbis principatu contineatur. Cuius regionis civitates liberae minores esse videntur, qui *πιστεύοντες ἡμῖν, ὧν δι' ἡμᾶς οὐκ ἄρξει* vocantur, cum illud *πιστεύοντες* liberiorem conditionem significet, quam ea erat, qua gentes Thessalorum ditioni subiectae (*ὑπήκοοι τῶν Θεσσαλῶν*) utebantur. Habemus igitur urbem Archelao finitimam, quae unius e quattuor Thessaliae regionibus, quas tetrades vocant, principatum obtinet, et statuere poterimus hanc esse inter quattuor regiones maxime septentrionalem Hestiaeotidem, cuius caput est Larissa. Quod vero dicit orator Phocios proximos Graecorum suae civitati incolere, hoc loco ceterae tres Thessaliae regiones, quippe quae et ipsae a Thessalis occupatae sint; praetermittuntur.

Larissa igitur teste Herode diu rei publicae rationem petierat, qualem ubique Lacedaemonii adiuvabant, gentes scilicet nobiles diu contenderant, ut re publica administranda potirentur, et postremo potiti erant. Quae tamen nova rei publicae forma oligarchiae paulo similior fuerat, quam eae civitates, quae Lacedaemoniorum auctoritate regebantur (*εἰ δὴ προσήκει ὀλιγαρχίας λέγειν ἐκείνας πρὸς τὰς ἐνθάδε*). Omnium civium iura aequata et penestis quoque civitatis partem datam esse nullum exstat indicium, interfuisse vero plebis quoque et penestarum multitudinem seditioni, et eorum viribus nisos optimates imperio deiecisse adversarios cum seditionis saeva atrocitas, tum illa: *ἐπὶ τοὺς πάντας οὐκ ὤκνησεν ἐλθεῖν*, et: *εἰ δὲ τοὺς πολλοὺς μετὰ τῶν ὀλίγων καταστρέψαιτο*, — demonstrant. Praeterea adversariorum illud: *ἀλλ' ὀλιγαρχίαν ἁπανταχοῦ καθιστᾶσι* tertias esse partes popularium indicat, quos Atheniensium rebus studuisse Thucydides tradit. Adversarios autem ab optimatibus imperio deiectos dynastas, quos vocant, fuisse *ὀλίγοι* illud Herodis indicat, quos Aleuadas fuisse verisimile est. — Novum tamen optimatium imperium diuturnum non fuerat, dynastae enim Archelai, Macedonum regis, auxilium imploraverant, qui discordiam intestinam magnum sibi praesidium ratus cum paucis multitudinem opprimere non cunctatus erat ea spe commotus, fore ut potioribus debellatis facile omnibus potiretur. Ipse Larissam venerat et ipso praesente omnes seditionis calamitates et scelera erant commissa. Cum tamen Archelaus totam rem publicam suae ditionis facere et praefectum Macedonem instituere non potuisset, in dynastis restituendis (*μήτε πολιτείαν εἶναι, μήτε νόμον, μήτε δίκας*), decem obsidibus accipiendis, agro denique Thessalorum patrio occupando ei fuerat acquiescendum. Ager vero a maioribus traditus et ab Archelao occupatus Perrhaeborum fines dici

videntur, qui Larissaeorum potestati subiecti (cf. Strabo 430: *Λαρισαῖοι οὖν κατεῖχον τέως τὴν Περραιβίαν καὶ φόρους ἐπράττοντο, ἕως Φίλιππος κατέστη κύριος τῶν τόπων*) Macedoniam proxime incolebant. Ipsa enim Larissa et liberae Hestiaeotidis civitates, quibus praeerat, adhuc sui iuris esse dicuntur (*ἡμεῖς μὲν οὖν δοκοῦμεν οὔτ' αὐτοὶ ῥᾳδίως ἂν τοῦτο παθεῖν, ἄλλοις τε ἐμποδὼν γενέσθαι. κ. τ. λ.*)

Archelai tamen intercessione firmus et constans reipublicae status non effectus, immo seditio aut rursus exorta est, aut imminet (*πολλὰς ἐλπίδας ἔχω μηδὲ στασιάσειν ἡμᾶς*) et civitas militibus mercenariis alendis opes suas impendit. Quae omnia Archelai malis artibus fiunt (*οὕτω μὲν αὐτὸν βούλεσθαι πέφυκεν ἡμᾶς στασιάζειν· εἰ δ' αὐτῷ ταῦτα συμφέρει, καὶ πράσσειν οἴεσθε αὐτόν*), qui id agit, ut Larissaeorum socios et totam rem publicam discordiis intestinis laceratam et exhaustam in suam ditionem redigat.

Ea Larissaeorum conditio est, cum ad belli societatem ineundam et Archelai potentiam infringendam a Lacedaemoniis evocantur, quibuscum omnes Graecorum civitates coniunctae sunt.

Archelaus autem, quanquam neque cum Atheniensibus Peloponnesiis bellum intulit, neque pecuniam illis suppeditavit, neque hos per fines suos iter facere prohibuit, odium tamen Peloponnesiorum sibi conscivit, quia cum iis in Athenienses invadere noluit, sed ab his nulla iniuria affectus neutris partibus auxilia misit. Postea rebus Atheniensium afflictis, quod expressis quidem verbis oratio nostra non addit, cum Archelaus, ut procellam sibi impendentem evitaret, Graecorum societatem emere cuperet, obtinere non potuit.

Quibus necessitatibus adacti Archelaus et qui Larissaeorum eius partes sequebantur adversariis iniuriae illatae satisfactionem concesserunt (*ὥστε τοὺς ὑμετέρους ἐχθροὺς ἑκόντας ὑμῖν δίκην δοῦναι*), qua tamen neglecta orator, ut Graecorum societatem capessant, cives suos hortatur, quo honesti praeceptis satisfaciant, hostium intercessiones et seditiones prohibeant, iniuriae illatae poenas sumant, opes et auctoritatem firment, bellum denique evitent, quod ne Graecorum societatem recusantibus Lacedaemonii inferant, timendum sit.

Restat, ut quae de Lacedaemoniorum consiliis oratio nostra affert accuratius examinemus. Et bellum quidem Archelao inferendum nondum exortum esse apparet. Peloponnesiorum enim et Archelai rationes *ἔχθρα* vocantur, neque de rebus gestis, aut certe belli gerendi rationibus et apparatu quidquam auditur, neque vero auxilium contra Athenienses ab Archelao recusatum Lacedaemoniis causa est, ut bellum inferant, sed ut hostem eum iudicent. — Si deinde vera Lacedaemoniorum consilia explorare volumus, oratoris nostri et ad-

versariorum argumentationes distinguendae sunt. Orator, id quod iam monitum est, Lacedaemoniorum rebus favet, qua de causa ita eorum consilia effingit, ut bellum Archelao illaturi esse videantur, quia contra Athenienses ipsos adiuvare noluerit. Hoc ad bellum Thessalorum societatem sibi adsciscere volunt, quae si recusetur, ne his quoque bellum inferant, timendum est. Cui explicationi non repugnat, quod praeterea ad Thessalos a barbarorum imperio liberandos bellum Archelao inferri contendit orator.

Cum vero totam orationem videamus multo magis versari in Archelai imperio obterendo, Peloponnesiorum societate commendanda, Lacedaemoniorum principatu probando, quam in bello Archelao inferendo, cum ipsius belli causa paucis verbis absolvatur, suspicio movetur bellum minus acriter urgeri, quam artificio suasorio simulari, ut verum consilium occultetur et societas, vel potius principatus Lacedaemoniorum accipiatur, et secuturum esse magis societatem Lacedaemoniorum acceptam, quam causam esse petitae. Quae suspicio confirmatur epilogo, qui, quae societatem Peloponnesiorum acceptam et quae reiectam secutura sint, brevi comparat. Ubi de bello Archelao illato vel inferendo, quod reiecta societate Thessalis quoque immineat, nihil dicitur, sed reiectae societatis hic eventus significatur: *τοῖς Ἕλλησι μὴ γίνεσθαι συμμάχους, τοῖς δὲ βαρβάροις*. Quo loco vocem *συμμάχους* non ad belli societatem, sed pacis principatum spectare verba, quae sequuntur, demonstrant: *ἔτι δὲ ἀτιμωρήτους μὲν τεθνάναι τοὺς ἀποθανόντας, ἀτίμους δὲ τοὺς προσήκοντας εἶναι, καὶ μήτε πολιτείαν εἶναι, μήτε νόμον, μήτε δίκας*. Haec enim eam conditionem adumbrant, qua nunc Larissaei utuntur; quodsi eam reiecta societate mansuram esse certissime affirmat orator, apparet societatem conditionem esse, sine qua Lacedaemonii bellum Archelao non illaturi sint, et ipsum oratorem confidere societatem recusatam non bellum a Lacedaemoniis Archelao et Thessalis illatum, sed firmam pacis conditionem secuturam esse.

Eodem pertinet quod Lacedaemonii *ἀπαράσκευοι πρὸς τὴν χώραν* esse et propterea Thessalorum libertati insidiari non posse dicuntur. Eadem enim causa eos impediebat, quominus bellum Archelao inferre serio sibi proponerent, et qui longinquitatem causam esse dicit, de qua Lacedaemonii Thessalis insidiari non possint, is quidem idem persuasum habere non potest eosdem Archelao bellum re vera illaturos esse.

Quae denique de obsidibus recuperandis exponuntur sensum mediocriter tolerabilem praebent, si de deserendo Archelai, accipiendo Lacedaemoniorum principatu, non de bello Archelao ultro inferendo agitur. Haec enim si erat rerum conditio, Archelaum, ut bellum

Lacedaemoniorum evitaret, obsides redditurum esse fortasse poterat cogitari, si vero bellum ei ultro inferebatur, exspectare, ut Archelaus obsidibus parceret, ineptum erat. — Quodsi videmus oratorem ipsum simulare quidem bellum Archelao inferendum, rem veram tamen, Lacedaemoniorum scilicet imperium Thessalis iniungendum, non prorsus reprimi, sed ex suadendi colore satis clare perlucere, hanc veram rerum conditionem esse quae adversarii opponunt aperte demonstrant. Adversarii enim prorsus neglectis belli rationibus et periculo a Lacedaemoniis societate reiecta imminenti, ne accepta societate vis ipsis inferatur, timent et ita verba faciunt, quasi non belli dux et socius, sed pacis quasi patronus aut Archelaus, aut Lacedaemonii eligendi sint. Si enim bellum inter duas civitates oriturum est, potentior socius certe melior est, adversarii autem Archelaum anteferendum esse contendunt, quia inferior sit Lacedaemoniis (*τούτου μὲν γάρ, εἰ βουλοίμεθα, δυναίμεθ' ἂν ἀμύνεσθαι, Πελοποννησίους δ' οὐκ ἄν*), et ea de causa Archelai principatum retinere (*στασιάζειν*) malunt, quam Lacedaemoniorum imperium subire (*δουλεύειν ἑτέροις*).

Adversarii igitur, quid re vera moliantur Lacedaemonii, perspiciunt; quorum cum fides maior esse videatur, quam oratoris, qui Lacedaemoniorum studio rem veram dissimulat, hanc rerum conditionem argumento nostro subesse statuere poterimus:

Lacedaemonii Archelao irascuntur, quod contra Athenienses ipsis auxilia non miserit, sed neutris partibus se addixerit. Simul ipsis propositum est, ut in Larissaeorum rebus principatui suo locum faciant, quod, nisi Archelai potentiam fregerint, fieri non potest. Itaque cum rei invidiam veriti et clandestinorum consiliorum amantes aperte imperium suum Larissaeis iniungere non audeant, bellum se cum Archelao, quia auxilia ipsis contra Athenienses mittere noluerit, gesturos et Larissaeos a regis barbari imperio liberaturos esse simulant, cuius belli ut societatem capessant Larissaeos cohortantur. Ita Archelai in rebus Thessalis auctoritati et imperio finem, ipsorum locum sese facturos esse sperant.

Caput IV.

De fide historica et fontibus.

Quaestiones, quas adhuc institui de oratione, quae artis rationibus aestimata nullius fere pretii est, susceptae sunt, quia mihi persuasum est argumentum nostrum in rerum gestarum descriptione versari et ex rerum gestarum memoria haustum esse. Quod cum

ab omnibus viris doctis, quippe qui Canteri argumentum acceperint, negatum sit, nunc iam causis comprobandum est.

Declamationes sophisticas nostrae similes teste Philostrato p. 481 Aeschines, Atrometi filius, primus composuerat. Cum enim antiqua ars rhetorica, cuius erat Gorgias auctor, dissereret de fortitudine, de iustitia, de heroibus et deis, et quomodo mundi forma procreata esset, secunda, cuius erat Aeschines auctor, pauperes adumbrabat et divites et principes et tyrannos et causas certis agentium nominibus definitas, quas historia suppeditat. Confirmatur Philostrati sententia Quintiliani auctoritate, qui, Institut. orator. II 4, 41, fictas, inquit, ad imitationem fori consiliorumque materias apud Graecos dicere circa Demetrium Phalerea institutum fere constat. Nam illud fictas materias argumenta ex historia petita non excludere idem Quintiliani liber altero loco indicat, III 8, 55: Solent in scholis fingi materiae ad deliberandum, ... ut cum apud C. Caesarem consultatio de Theodoti poena ponitur, et ibid. 52: quamquam haec (prosopopoeia) aliquando etiam in controversias ducitur, quae ex historiis compositae certis agentium nominibus continentur. Neque ignoro plerumque exercitationis gratia poni et poeticas et historicas, ut Priami verba apud Achillem, aut Sullae dictaturam deponentis in contione.

Quaestionem movent haec testimonia, quatenus in tractandis argumentis ex historia petitis historiae fidem sophistae servaverint, utrum ex historiae personarum natura et indole et rerum traditarum conditione orationes composuerint, quod ne optimi quidem rerum scriptores repudiaverunt, an liberius usi historia ipsorum cogitationes historiae personis attribuerint. Qua in quaestione neque Philostrati neque Quintiliani testimonio quidquam docemur, prosopopoeia enim, quae diligentiorem quandam historiae notitiam et fidem poscere videtur, in nostram orationem non cadit. Quanta igitur diligentia in argumentis ex historia componendis rerum traditarum fides servanda esset, certis praeceptis vel scholae consuetudine non definitum, sed uniuscuiusque indoli et arbitrio permissum fuisse videtur. Confirmatur haec sententia exercitationibus illis sophistarum, quae multae ad nos pervenerunt, perlustratis. Declamationum enim, quae ex historia compositae certis agentium nominibus continentur, duo sunt genera. Primum locum obtinent, quarum totum argumentum in rerum gestarum descriptione versatur et secundum artis rhetoricae praecepta tantum dispositum et ornatum est.

In quibus sunt orationes P. Aelii Aristidis, Herodis discipuli, cuius duae *περὶ τοῦ πέμπειν βοήθειαν τοῖς ἐν Σικελίᾳ*, ut exemplum afferam, non solum ad literas Niciae et orationes Niciae et Alci-

biadis apud Thucydidem expressis verbis respiciunt et locutiones illinc petitas referunt, sed etiam Aristidem rerum Graecarum inde a belli Persici temporibus accuratam scientiam et rationem habuisse demonstrant.

Alterum et copiosius quidem genus eas sophistarum declamationes continet, quae certam aliquam personam a rerum gestarum memoria suppeditatam, et eam celebrem plerumque, ponunt, praeter nomen vero personae nihil fere habent cum historia commune, sed quaevis dicta vel facta personis veris attribuunt et historiae imagines lascivia fingendi in risum vertunt. Cuius generis cum exempla sint permulta, unum Polemonis, Herodis nostri aequalis, argumentum afferre satis sit, quod Philostratus p. 543 tradit: *Δημοσθένης ξυμβουλεύων ἐπὶ τῶν τριηρῶν φεύγειν ἐπιόντος Φιλίππου.*

Quae cum ita sint, si nostram orationem priori generi attribuimus et historiae quandam fidem ei vindicamus, certae et graves causae iam afferendae sunt. — Ex quaestione, quam de orationis nostrae argumento instituimus, facile intelligitur, id quod Canteri et, qui eum secuti sunt, virorum doctissimorum errore confirmatur, rerum descriptarum conditionem legentibus, nedum audientibus valde obscuram et impeditam esse, nisi causae cognitione accuratiore aliunde petita utuntur. Cuius obscuritatis etiamsi Herodis quidem auditoribus aliquantum ea res tolleret, quod causa orationis iis erat proposita, tamen satis his etiam restabat et, si singula quaeque rerum descriptarum ab iis intelligi volebat Herodes, aliunde totum argumentum iis notum fuisse statuendum est. Quare adducimur, ut orationem nostram ex antiquiore rerum gestarum monumento haustam esse putemus, quod, sive historicum, sive rhetoricum, Herodis discipulis et auditoribus notum esset.

Rerum deinde conditionem, quam oratio nostra describit, non prorsus esse fictam Herodis studia et doctrina confirmant. Herodes enim teste Philostrato p. 565, quamvis literarum scientia omnes superaret, discendi tamen laborem minime detrectabat, sed et inter pocula et noctu per somni intervalla studiis operam dabat. Teste eodem manualia et collectanea composuit, antiquae eruditionis quasi flores in compendium collectos, in universum autem omnibus antiquis scriptoribus et Critiae maxime operam dabat et, etiamsi inter scripta eius in antiquitate versata historicas quoque fuisse quaestiones demonstrari non possit, tamen, quin ei illa rerum antiquarum studia rerum gestarum quoque multiplicem scientiam suppeditaverint, non est dubium. Haec autem argumenta quasi praesentia et imagines expressas et dilucidas multas ei praebebat, quibus in orationibus componendis optime posset uti; quibus neglectis prorsus ficta argu-

menta laboriose eum conquisivisse minime est probabile. Re vera una Herodis oratio, cuius argumentum tradit Philostratus p. 574, in rerum gestarum memoria versatur. Agitur enim de Atheniensibus in Sicilia vulneratis, qui a commilitonibus discedentibus relicti mortem sibi petunt, et finis orationis, qui exstat apud Philostratum: *Ναὶ Νικία, ναὶ πάτερ, οὕτως Ἀθήνας ἴδοις·* valde Thucydidis *ἐπιθειασμούς* et *οἰμωγήν* resipit (VIII 75). Altera oratio, cuius Philostratus p. 539 mentionem facit, tropaea Graeca bello Peloponnesiaco composito destrui iubet, sed hoc argumentum a Polemone antea coram Herode erat tractatum et aemulationi suppeditatum.

Quodsi iam argumenti obscuritate et Herodis auctoritate opinio movetur, orationem nostram in rerum gestarum memória versari, argumenti concentu et probabilitate haec sententia confirmatur. Explicatio enim argumenti docuit orationem, quamvis obscuram, tamen, quantum orationi opus est, sibi constare et de civitatis descriptae nomine, rei publicae rationibus, Archelai actionibus et iniuriis, rerum Graecarum conditione, Lacedaemoniorum consiliis certam scientiam afferre. Cum vero totum argumentum concors sit sibi et bene cohaereant partes, singula tam perspicua sunt et expressa, quam in tanto temporis intervallo cogitari non potest, nisi Herodem res gestas descripsisse et ex veterum scriptorum monumentis hausisse statuimus. Credat licet quispiam seditionum descriptionem a rhetoris ingenio inveniri potuisse, tamen Archelai agendi rationes, qui callide usus discordiis civilibus cum paucis multitudinem aggressus sit, ut his superatis omnibus imperaret, — regionis deinde descriptionem subtilem et dilucidam, quae latissima et uberrima Graeciae, belli materia et equitatu praecipue abundans, neglectis naturae praesidiis militibus mercenariis alendis opes suas exhauriat et ea de causa nullius auctoritatis sit, — rerum denique Graecarum conditionem et Lacedaemoniorum consilia a sophista otioso temere et fortuito ficta esse, eo minus verisimile est, quo magis remota et e longinquo arcessita causa, de qua agitur. Neque enim unquam Thessalia ante Iasonis neque Macedonia ante Philippi tempora ad res Graecorum constituendas multum momenti attulit. Qua de causa iam aequales his rebus animum et studia minus advertebant et nobis pauca de iis tradita sunt. Eadem vero de causa neque Herodi sua sponte in mentem venire poterat sine materia has potissimum res tractare et, cum tractaverit, adducimur, ut antiquitatis scriptorum studio de his rebus doctum scientiam illinc petitam in orationem insumpsisse putemus. Re vera nostra oratio unicum est exemplum, quo res tam remotae et plurimis sine dubio ignotae tractantur, cum clara nomina ex planiore rerum et temporum memoria saepissime usurpentur. Ita Athe-

niensium expeditio in Siciliam, bellum Persarum, pugna Leuctrica, supremum bellum pro libertate tuenda cum Philippo gestum, alia id genus permulta sophistis argumenta suppeditaverunt, maxime autem in Philippi et Demosthenis rebus et imaginibus describendis et depravandis ingenium sophistarum sibi placuit.

Quae cum ita sint, adducimur, ut orationem nostram non scholae inventionem, sed rerum gestarum testimonium esse putemus, et contendere poterimus rebus ab Herode relatis eandem fidem vindicandam esse, quam omnes historiae res praestant, quae ab uno tantum auctore traduntur, si neque rerum gestarum ordini et connexui aliorum scriptorum testimoniis satis fidis constituto repugnant et inter se singula consentiunt. Quod utrumque ut demonstretur restat, qua in re tenendum est, Herodem oratorem, non rerum scriptorem esse et nihil aliud agi, nisi ut eam fidem et diligentiam ei vindicemus, qua omnes oratores in rebus gestis enarrandis usi sunt.

Quarum rerum ab Herode relatarum duo sunt genera. Primum locum exempla obtinent temporis notione praedita, quae ex historia Herodes ad suam causam illustrandam et comprobandam petivit. Quae cum ad nostrae causae tempus non spectent, aliis orationis nostrae descriptionibus repugnare non possunt, itaque ea cum aliorum scriptorum testimoniis consentire demonstrare satis est.

Ita Larissaeis in memoriam reducit Herodes, quales bello Persico se praebuerint, et contendit Thessalos bello Persico non interfuisse quidem, ipsorum enim regione relicta pro reliqua Graecia decertare iniquum fuisse, voluisse tamen una cum Graecis pro patriae salute periclitari, si ipsorum regio a Persarum impetu esset defensa, si scilicet Graeci ad Tempe Persas exspectassent. Quae rerum gestarum memoriae non repugnare Herodoti testimonium comprobat. Is enim tradit (VII, 6. 132. 172—174) Aleuadas Persas in Graeciam vocasse sine dubio, quia eorum auxilio amplius et magis expeditum imperium sese nacturos esse sperabant, et inter eas gentes, quae Xerxi in Pieria commoranti deditionis signa miserunt, Thessalos quoque nominat. Qui tamen inter Thessalos Graecorum rebus favebant, hoc ipsis invitis ab Aleuadis factum esse ostendere. Ad Graecos enim in Isthmo considentes miserunt legatos et auxiliis firmatos satis magnis ad Tempe se Persas aditu prohibituros esse promiserunt. Sin autem auxilia Graeci non mitterent, Persarum partes sese secuturos esse, ut enim soli procul excubantes salutem suam communi patriae condonarent, postulari non posse. Re vera Thessalorum equitatus Graecorum auxiliis se adiunxit, quae cum suadente Alexandro, Macedonum rege, recessissent, tum demum Thessali promptum Persis obsequium praestitere.

Aliud exemplum ex historia petitum ratio est et voluntas, qua Archelaus bello Peloponnesiaco usus sit. Itaque Archelaus I dicitur, qui Perdiccam secutus auctore Abel, Macedonien vor Koenig Philipp, p. 197, inde ab anno 413 usque ad annum 399 Macedonum regnum obtinuit. Quodsi Archelaum tradit Herodes neque Peloponnesiis cum Atheniensibus bellum intulisse, neque illos per fines ipsius iter facere prohibuisse, neque his pecuniam suppeditasse, neque in Athenienses nulla ab ipsis iniuria affectum invadere voluisse cum Peloponnesiis, sed quietum fuisse, primum, quod maximum est, Archelaum bello Peloponnesiaco non interfuisse cum veritate convenit. Quod enim teste Diodoro XIII 49 Archelaum anno 410/9 Pydnam oppugnantem Theramenes Atheniensium dux adiuvit, hac ex re Archelaum quoque Atheniensibus auxilia suppeditasse colligi non potest, et quod Abel p. 194 causas non afferens Archelaum Atheniensium partes secutum esse contendit, incautius dictum esse videtur, cum paulo ante, p. 191, idem post cladem in Sicilia Atheniensibus illatam Macedones bello Peloponnesiaco interfuisse negaverit. Ut vero Archelao cum Atheniensibus amicitia quaedam intercesserit, Archelaum bello Peloponnesiaco non interfuisse et Athenienses neque copiis neque pecunia adiuvisse nulli veterum scriptorum testimonio repugnat et utique verum esse videtur. — Sin autem ex Herodis illo: *πλὴν ὅτι οὐκ ἤθελε συμπολεμεῖν αὐτοῖς πρὸς Ἀθηναίους*, colligat quispiam, Lacedaemonios Archelai societatem et auxilium petivisse bello contra Athenienses renovato, hoc testimoniis cum demonstrari non possit, nondum refutatum est, immo si totam rerum conditionem et priorem Lacedaemoniorum et Perdiccae societatem respicimus, nihil habet offensionis. Teste enim Thucydide Lacedaemonii id temporis non solum Atheniensium socios ad ipsos deficientes libenter excipiebant, sed etiam alios invitos ad ipsorum partes traducere conabantur (Thuc. VIII, 3).

Cum denique Archelaus Lacedaemonios, quominus per fines suos iter facerent, non prohibuisse dicitur, Archelaus cum Perdicca confunditur, et nihil aliud Herodi accidit, quam quod saepius Diodoro, qui, ut exemplum afferam, XIII 36 sq. identidem Pharnabazum vocat pro Tissapherne et XIV 17 sq. Pausaniam pro Agide. Poterat autem Herodi, praesertim qui orator, non rerum scriptor esset, eo facilius accidere hic error, cum nobis etiam Archelai regnum calculo definiendum sit.

Quarum rerum fidem aequant, quae de Lacedaemoniorum et Archelai virium ratione, de Thessalorum infirmitate et paucorum imperiis, de regionis praesidiis, munitionibus, fertilitate, subsidiis exponuntur, quae vera esse cum sponte intelligitur; tum ea re de-

monstratur, quod his ex descriptionibus a nobis collectum est, Thessaliae esse civitatem, de qua agatur.

Accedamus ad alterum genus rerum ab Herode relatarum, quo illae continentur descriptiones, quae totam rerum conditionem, in qua versatur causa, illustrant. Sunt autem: omnium Graecorum societas, rerum Graecarum conditio, Thessalorum seditiones, Archelai et Lacedaemoniorum agendi rationes et consilia. Quae omnia, etiamsi per se singula rerum gestarum memoriae non repugnent, nostra tamen in oratione tum demum vera haberi poterunt, si inter se consentire et ad unum omnia temporis momentum referri posse erit demonstratum. Hoc igitur nobis quaerendum est, quam quaestionem ita instituemus, ut adhibitis aliorum scriptorum testimoniis videamus, num ex rebus allatis temporis vestigium definiri possit, in quod orationis nostrae argumentum cadat. Quod si fieri posse demonstraverimus, ipsas res descriptas neque sibi, neque aliorum scriptorum testimoniis repugnare et rerum gestarum vera esse vestigia demonstratum erit.

Primam temporis notionem exhibent, quae de Archelai bello Peloponnesiaco agendi rationibus afferuntur, cadit igitur causa nostra intra annos 413 et 399. Bellum deinde Peloponnesiacum ita commemoratur, ut finitum esse, aut Peloponnesiis certe non iam periculum praebere putemus. Omnes enim Graecorum civitates cum Lacedaemoniis coniunctae sunt, qui id agere simulant, ut ab Archelao, quia bello Atheniensibus inferendo interesse noluerit, poenas expetant. Atheniensium autem mentio fit, ut quorum non iam ratio habenda sit. Qua descriptione adducimur, ut de eo rerum Graecarum statu cogitemus, qui pugnam apud Aegospotamos commissam secutus est. Hac enim una clade Atheniensium res eversae sunt, et, ut Xenophontis verbis utar, (Hellenica II 2, 6): *εὐθὺς καὶ ἡ ἄλλη Ἑλλὰς ἀφειστήκει Ἀθηναίων μετὰ τὴν ναυμαχίαν πλὴν Σαμίων.* Ipse Lysander Lampsacum, Byzantium, Chalcedonem (Hell. II 2, 1), Lesbum oppressit (Hell. II 2, 5), et ab Atheniensium obsidione cum parte classis in Ioniam revertit, ut Samum potissimum subigeret, (Plut. v. Lys. 14), Thraciae autem oppida ad Lacedaemoniorum rationes reducenda Eteonico mandavit (Hell. II 2, 5). Cum denique Lysander laudantibus omnibus Graecis Aeginetas, Melios, Scionaeos, ceteros ab Atheniensibus expulsos in patriam reduxisse tradatur (Hell. II 2, 9. Plut. v. Lys. 14), et omnes Peloponnesii exceptis Argivis universis copiis Athenarum portas obsedisse (Hell. II 2, 7), Athenienses vero hieme anni 405/4 obsidione pressi accepto Lacedaemoniorum principatu pacem petivisse dicantur (Hell. II 2, 11), concedendum erit Lacedaemoniis pugna apud Aegospotamos com-

missa in mentem potuisse venire suprema imperii infiniti impedimenta comprimere, et oratorem hoc temporis momentum spectantem de omnium Graecorum societate loqui potuisse. Quo indicio cum terminum a quo, qui vocatur, nacti simus, annum 405, iam quaeritur, num ex ipsa oratione tempus rerum descriptarum satis certo artius definiri possit, quam anno 399, quo Archelaus mortuus est. Quod quamvis certis rerum ab Herode relatarum terminis fieri nequeat, tamen omnium Graecorum societatis et studii descriptio, quo Lacedaemoniorum consilia adiuvant Graeci, et Lacedaemoniorum in principatu exercendo rationum expositio valde probant non multum ultra annum 405 nobis esse progrediendum.

Cum enim, quoad Atheniensium potentiae aliquid stabat, odium eorum efficeret, ut socii utique Lacedaemoniorum imperio parerent et eos tanquam Graecorum liberatores celebrarent, Athenis expugnatis Lacedaemoniorum agendi ratione omnibus Graecis error simul et obsequii fides adempta sunt. Ita Lacedaemoniorum potius timore, quam Atheniensium odio commoti Corinthii et Thebani Athenas diruendas esse censuisse videntur (C. F. Hermann, Staatsalterthümer § 40, 1 u. 2. Hell. II 2, 19. Isocrates Plataic. 31), Atheniensium deinde exsules neglectis Lacedaemoniorum iussis aperte adiuvant (Hell. II 4, 1. Plut. v. Lys. 27), et Pausaniam in exsules in Piraeum reversos invadentem (Hell. II 4, 30. III 5, 8) et Agidem Eleis bellum inferentem (Hell. III 2, 25. Diodor. XIV 17) ne adiuvent, recusant.

In Lacedaemoniorum principatus exercendi rationibus interpretandis oratoris nostri iudicium ab adversariorum sententia distinguendum est. Ille res publicas ubique et leges constitutas et rerum communium communem esse usum contendit et Peloponnesiorum rei publicae rationes cum Thessalorum oligarchiis comparatas oligarchias vocari posse negat, cum tam parvum oppidum apud illos inveniri non possit, cuius non tertia pars civium reipublicae administrandae particeps sit. Neglectis iniuriis et vi, quibus insulas et urbes maritimas Lacedaemonii affecerant, vel tunc afficiebant, quarum ad exemplum Thessaliae res accepta societate Peloponnesiorum constitutum iri non erat verisimile, eorum Graecorum exempla affert, qui Graeciam continentem incolentes Lacedaemoniorum principatu utebantur, et quod contendit hoc adhibito modo utique verum est, si id temporis spectare statuimus, quod annum 404 praecedit, quo Athenis triginta tyranni instituti sunt. Hoc enim tempore Elei quoque, quorum libertatis integrae orator noster mentionem facit, re vera erant liberi et poena illa gravi nondum affecti, quam teste Xenophonte (Hell. III 2, 21) anno 399, Diodoro (XIV 17) anno 402/1

Lacedaemonii ab iis expetiverunt. Si vero saevi imperii Atheniensibus iniuncti exemplum iam exstabat, inutile erat clementis Lacedaemoniorum principatus exempla afferre, et quamvis multi, in quibus Xenophon, vel inde Lacedaemoniorum rebus favorem servarent, tamen hoc tempore oligarchias ab iis institui ne orator quidem negare poterat.

Adversarii contra, ne a Lacedaemoniis opprimantur, iam timent et paucorum imperia eos ubique constituere crimini dant. Quae sententiarum discrepantia tollitur, si adversarios illa in insulis facinora et iniurias Lysandri spectare statuimus, quae orator non sine aliqua excusatione praetermisit. Statim enim pugna ad Aegospotamos commissa in urbibus et insulis ubique, quas supra commemoravi, praefectos Lysander et decemviros ex factionibus lectos, quibuscum diu erat coniunctus, instituere coepit. cf. Plut. v. Lys. 13.

Itaque cum argumentum nostrum in illud temporis spatium cadere verisimillimum esse videatur, quod fere mense Augusto anni 405 et mense Septembri anni 404 continetur, restat, ut examinemus, num reliquae quoque orationis nostrae descriptiones in hoc tempus quadrent.

Et primum quidem, quae de Thessaliae rebus exponuntur, excutiamus. Argumenti explicatio docuit de communi Thessalorum republica non agi, sed Larissam, quanquam concilii sedem (Du Mesnil, de rebus Pharsalicis p. 21), et urbem Thessaliae nobilissimam, ipsius tantum et tetradis suae salutis rationem habere. Dynastarum deinde imperium, quod ubique Thessaliae vigebat, Larissae diu impugnatum tandem a nobilitate multitudinis viribus aucta eversum, et optimatium imperium institutum est, quod tamen non diu stetit, sed a dynastis cum Archelao coniunctis oppressum est. Itaque dynastarum imperium restitutum est, et, cum Lacedaemonii societatem offerunt, iterum seditio, Archelai malis artibus concitata, aut orta, aut oritura esse videtur, in qua milites mercenarii maximi momenti sunt et civitatis opes exhauriunt.

Talis vero rerum Thessaliae dissolutio et Larissaeorum separatio per totam belli Peloponnesiaci aetatem fuit. Foedus enim Thessalorum et commune, quod dicitur, vel concilium esse non poterat, si praetor (*ταγός*) deerat, qui convocaret et rebus publicis provideret. Praetor autem saepe diuque defuit et inter Echecratidam (Thuc. I 111 ***Θεσσαλῶν βασιλεύς***) et Iasonem exstitisse non videtur. Scopam enim a Xenophonte Hell. VI 1, 19 commemoratum non eundem esse, quem Cyro Minori monile pretiosum misisse tradit Aelianus Var. Hist. XII 1, id quod Buttmann (Aleuaden, Mythologus II p. 273) et Du Mesnil (l. c. p. 22) crediderunt, sed aut Scopam intelligendum

esse Simonidis lyrici aequalem, aut etiam vetustiorem recte Schneider (ad Aristotel. Polit. II p. 492) et Vischer (Staaten und Bünde p. 21 n. 5) statuerunt et comprobaverunt.

Praeterea commune Thessalorum belli Peloponnesiaci temporibus dissolutum fuisse multis scriptorum testimoniis confirmatur. Cum enim Poppo ex loco illo Thucydidis (II 22), ubi inter socios Atheniensium Thessalos Larissaeorum et Pharsaliorum tantum praefecti nominantur: Polymedes et Aristonus et Menon, collegit Larissaeorum et Pharsaliorum totius Thessaliae imperium fuisse, modum certe transiit et recte ab Hermanno (Staatsalt. § 178, 5) iam notatus est, quia addit expressis verbis Thucydides: *ἦσαν δὲ καὶ τῶν ἄλλων κατὰ πόλεις ἄρχοντες*. Neque vero, cum Brasidas a Lacedaemoniorum et Perdiccae fautoribus per singulas tetrades et regiones duceretur (Thuc. IV 78), praetor vel commune Thessalorum concilium fuisse potest. Etiamsi enim *τοῦ πάντων κοινοῦ* mentio fiat, nihil re vera publici consilii fuisse, aut neminem certe eius rationem habuisse ipse transitus aperte demonstrat. Sub finem denique belli Peloponnesiaci Thessalorum societatem prorsus esse dilapsam bellum comprobat, quod teste Xenophonte Hell. II 3. 4 anno 404 Lycophron, Pherarum tyrannus, Larissaeis aliisque Thessalis intulit. Attamen, etiamsi Thessalorum societas dissoluta esset, singulis civitatibus tetradum imperium manebat (cf. Hell. VI 1, 8: *Φαρσάλου προσγενομένης καὶ τῶν ἐξ ὑμῶν ἠρτημένων πόλεων*), quas idcirco ab Aleua Rufo inventas esse, ut communi magistratu saepius deficiente gentes subiectae facilius in obsequio continerentur, recte Du Mesnilium statuisse puto.

Eodem modo seditionum turbae per totam belli Peloponnesiaci aetatem Thessaliam vexavere, quae primo a nobilitate contra dynastas, deinde a populo quoque et penestis movebantur. Ita auctore Thucydide I, 111 iam anno 454 Athenienses cum Boeotis et Phociis Orestam, Echecratidae, Thessalorum regis, filium, expulsum reducere frustra conabantur, et anno 431 inter equitum praefectos, quos Thessali Atheniensibus auxilio miserant, *ἐκ μὲν Λαρίσης Πολυμήδης καὶ Ἀριστόνους* nominantur *ἀπὸ τῆς στάσεως ἑκάτερος*. In Brasidae deinde itinere idem Thucydides tradit (IV 78) Thessalorum multitudinem semper Atheniensium rebus studuisse, cum tamen unius imperio magis, quam iure aequo uterentur Thessali, Brasidam profecisse. Videtur igitur adhuc dynastarum imperium se sustinuisse et inter nobiles potissimum de imperio certatum esse. Eodem tamen fere tempore maiores turbas a penestis quoque, quos optimatium discordiis concitatos esse verisimile est, motas esse, et iis Athenienses quoque se immiscuisse comicorum aliquot locis comprobatur. Ita legitur apud Aristophanem Vesparum versu 1271 sq. Dind.: *Ἀμύνιας* . . . . .

ἀλλὰ πρεσβεύων γὰρ ἐς Φάρσαλον ᾤχετ', εἶτ' ἐκεῖ — μόνος μόνοις .... — τοῖς πενέσταισι ξυνῆν τοῖς — Θετταλῶν, κ. τ. λ. cf. Aristoph. Nubes v. 686 sq. — Eupolis, fragm. com. II 513. Fortasse vero Λαρισοποιοί quoque Gorgiae apud Aristotel. Polit. III 2 et οἱ ἐν Λαρίσῃ πολιτοφύλακες et ἄρχων μεσίδιος ibid. VIII 6 ad penestarum turbas belli Peloponnesiaci temporibus motas spectant. Notum est denique Critiam, Athenis eiectum, in Thessalia sub finem belli Peloponnesiaci cum Prometheo democratiam instituisse et penestas contra dominos armis instruxisse (Hell. II 3, 36. Commentar. I 2, 24). Etiam tunc autem externarum civitatum auxilio et militum mercenariorum viribus maxime nisos singulos dynastas Larissae certe se sustinuisse Xenophon et Aristoteles testantur, ille cum Aristippum Thessalum (Anabas. I 1, 10) Cyri Minoris opibus duo milia militum conduxisse tradat, ὡς οὕτω περιγενησόμενον ἂν τῶν ἀντιστασιωτῶν, — hic cum (Histor. Animal. IX 30) Medii Larissaei milites mercenarios atrociter caesos esse narret, quam quidem stragem an recte Du Mesnil ad Lycophronis victoriam, teste Xenophonte Hell. II 3, 4 de Larissaeis et aliis Thessalis reportatam (anno 404) rettulerit, nescio.

Quae testimonia de rerum Thessalicarum conditione allata cum nihil habeant, quod nostrae orationis descriptionibus vel tempori a nobis definito repugnet, ad Archelai et Larissaeorum conditiones ab Herode descriptas accedamus.

Perdiccae iam, Archelai antecessori, qui primus Macedonum rebus inter Graecas civitates locum et auctoritatem fecerat, cum Thessalis et Larissaeis maxime familiaritatem intercessisse et magnam fuisse ad res Thessaliae regendas potentiam Thucydides testatur. Cum enim Brasidas exercitum Thessaliam traduceret, et Pharsalii nonnulli, Lacedaemoniorum rebus faventes, et Niconidas Larissaeus, Perdiccae familiaris, et, eius videlicet iussu, Perrhaebi quoque, Larissaeorum ditioni subiecti, ad Macedoniae fines eum duxere. Quos quidem Perdiccae auctoritate maxime commotos duxisse, qui id temporis Lacedaemoniorum erat socius, ex ea re patet, quod, cum interim Atheniensium partes Perdiccas capessisset, eius iussu copiae Lacedaemoniorum, ab Ischagora et Rhamphia Brasidae adducendae, a Thessalis itinere faciendo prohibitae sunt (Thuc. IV 132. V 13). Quod in Thessalos imperium voluisse certe Archelaum confirmare et astringere Thrasymachi fragmentum demonstrat, quod exstat apud Clementem Alexandr. Strom. VI p. 624, ubi haec sunt: καὶ μὴν ἐν Τηλέφῳ εἰπόντος Εὐριπίδου· Ἕλληνες ὄντες βαρβάροις δουλεύσομεν; Θρασύμαχος ἐν τῷ ὑπὲρ Λαρισαίων λέγει· Ἀρχελάῳ δουλεύσομεν Ἕλληνες ὄντες βαρβάρῳ. — Cuius testimonii explicationem mea quidem sententia luculentissimam Baiter et Sauppe, oratores Attici II

p. 162, hanc edidere: Cum Aleuadae, optimatium Larissaeorum principes, ad Archelaum, Macedonum regem, confugissent, et hic illos reducturus esse putaretur, videntur populares Atheniensium opem imploravisse. Legatis Larissaeorum Thrasymachus orationem vel re vera scripsit, vel quasi scribenda esset composuit, ut exemplum discipulis exstaret.

Quocunque vero modo res se habet, legatos Larissaeorum Athenas venisse Thrasymachi fragmento adducimur, ut maxime probabile putemus, Archelaum vero rebus Larissaeorum se immiscuisse eodem testimonio haud dubie comprobatur. Thrasymachi enim aetate argumenta certis historiae nominibus definita prorsus ficta esse non modo exemplis confirmari non potest, sed etiam Philostrati et Quintiliani testimoniis supra allatis aperte repugnat. Cui Thrasymachi fragmento nostra oratio ita non repugnat, ut contra illustrationem et continuationem addat.

Neque vero Herodis illud: *ἔχει μέν γε χώραν, ἣν ἡμῖν οἱ πατέρες κτησάμενοι παρέδωκαν*, quod ad Perrhaeborum agrum, ab Archelao ad tempus occupatum, spectare supra statuimus, Strabonis auctoritate refellitur. Quod enim Strabo 430 tradit Larissaeos usque ad Philippi, Macedonum regis, aetatem Perrhaebiam obtinuisse et reditus ex ea percepisse, hoc ad verbum accipi non posse Diodorus demonstrat, qui XV 57 tradit Iasonem anno 370 Perrhaebiae oppida, alia vi et obsidione, alia persuasione, ditioni suae subiecisse.

Alterum de Archelai et Larissaeorum rationibus testimonium apud Aristotelem Polit. VIII 10 exstat: *συνεπέθετο δὲ (Ἀρχελάῳ) καὶ Ἑλλανοκράτης ὁ Λαρισαῖος διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν· ὡς γὰρ χρώμενος αὐτοῦ τῇ ἡλικίᾳ οὐ κατῆγεν ὑποσχόμενος, δι' ὕβριν καὶ οὐ δι' ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν ᾤετ' εἶναι τὴν γεγενημένην ὁμιλίαν.* — Quae tamen testimonia, Thrasymachi dico et Aristotelis, ad eundem rerum statum spectare negaverim. Ut enim omittam Larissaeos anno 399, vel paulo ante Atheniensium auxilium implorare non potuisse, tamen aliud est promissum reditus faciendi uni alicui civi datum, sed non perfectum, aliud invasionis Macedonicae et servitutis imminens periculum. Itaque cum res ab Aristotele narrata ad annum 399 referenda sit, nihil impedit, quominus Thrasymachi fragmentum ad nostram causam revocemus, et servato tempore definito statuamus non ita multo ante annum 405 populares et optimates Larissaeorum imperio expulisse dynastas, et, cum hi Archelai auxilium impetrassent, Atheniensium, veterum sociorum, opem implorasse, cum vero ab his, a Lacedaemoniis et Persis detentis, non adiuvarentur, oppressos esse.

Neque vero Xenophontem, qui victoriam a Lycophrone de Larissaeis aliisque Thessalis mense Septembri anni 404 reportatam

strictim commemorat (Hell. II 3, 4), de Archelai autem in rebus Larissaeorum potentia tacet, orationi nostrae et tempori a nobis definito repugnare iudicandum est. Neque enim ex Xenophontis testimonio nimis brevi et abrupto satis certo colligi potest Archelai potentiam in rebus Larissaeorum iam fractam esse, neque, hoc si colligi potest, orationi nostrae repugnat, sed causam nostram ante hanc pugnam revocandam esse confirmat, et utique credibile est Lacedaemoniorum exhortatione, etiamsi societas non acciperetur, tamen nobilitatis et popularium partes firmatas, dynastarum et Archelai potentiam infractam esse. Dynastas enim et Archelaum omnia movisse, ut societatem sibi perniciosam discuterent, et multitudini optimatibusque morem gessisse verisimillimum est. Quorum facilitate et multitudinis contra Lacedaemonios odio societatem oblatam diremptam esse statuere poterimus, et tale aliquid ipse orator significare videtur, ubi dicit: *ἡ τύχη . . . . συνέπραξεν, ὥστε τοὺς ὑμετέρους ἐχθροὺς ἑκόντας ὑμῖν δίκην δοῦναι.*

Nec non credibile est bellum, quo teste Aristotele Polit. VIII 10 Archelaus a Sirrha et Arrhabaeo supremis regni annis urgebatur, eum impedivisse, quominus potentiam, quam in rebus Larissaeorum nactus erat, tueretur et socios ab adversariis et Lycophrone defenderet. Quod si statuimus, simul habemus causam, de qua Hellenocratem, cuius strictim Aristoteles mentionem facit, Archelaus in patriam non reduxerit. Ceterum omnia haec Xenophontis et Aristotelis testimonia breviora sunt, quam quibus certi aliquid de Archelai et Larissaeorum conditionibus diiudicari possit, et iam comprobavisse sufficit ea orationi nostrae et tempori a nobis definito non repugnare.

Restat, ut, quae de Lacedaemoniorum in rebus Thessaliae et Macedoniae agendi rationibus aliorum scriptorum testimoniis docti scimus, cum consiliis eorum nostra oratione relatis et in argumenti explicatione accuratius examinatis comparemus.

Iam anno 426 Lacedaemonii teste Thucydide (II 92) et Diodoro (XII 59) regionibus septentrionalibus animum adverterant, cum petentibus Trachiniis et Doriensibus Apollinis Delphici auspiciis decem milia colonorum Heracleam deducerent, ut ea quasi castello contra Euboeam uterentur et aditum in Thraciam satis tutum haberent. Gentes vero finitimae, et Thessali maxime, novae coloniae periculum sibi imminens non ignorabant. Quae cum finitimorum incursionibus et praefectorum superbo imperio labefactata Thebanorum auxilium implorasset et ab his occupata esset, Lacedaemoniorum ira demonstrabat, quanti facerent hoc castellum (Thuc. V 51 sq. Diodor XII 77).

Brasidae deinde expeditio Lacedaemonios in regionibus septen-

trionalibus cum Atheniensium potentiam evertere, tum ipsorum constituere voluisse et Pharsali certe fautores iam habuisse demonstrat.

Thucydides denique tradit Agidem hieme anni 413/12 Decelea expeditionem ad sinum Maliacum fecisse et ab Oetaeis, Achaeis Phthiotis, ceteris gentibus illius regionis Thessalorum imperio subiectis pecunias obsidesque invitis Thessalis exegisse et ad Lacedaemoniorum partes eos traducere conatum esse. Quod tamen irritum fuisse et Thucydidis illud: *ἔς τε τὴν ξυμμαχίαν ἐπειρᾶτο προσάγειν* et Xenophontis testimonium comprobare videtur, qui Hell. I 2, 18 tradit anno 410/9 Heracleotas, ab Achaeis in ipsa acie destitutos, ab Oetaeis victos et praefectum a Lacedaemoniis missum cum militibus septingentis occisum esse.

Iam demonstratum est Lacedaemonios ab initio fere belli Peloponnesiaci id egisse, ut in regionibus septentrionalibus auctoritati suae locum facerent, et haec consilia usque ad Agidis expeditionem prosecuti sumus. Inde vero usque ad annum 400 de his rebus nihil traditum est. Hoc enim anno (Diodor. XIV 38) Lacedaemonii, ut imperium suum Heracleae confirmarent, Herippida duce adversarios dolo captos trucidaverunt et Oetaeos rebellantes in Thessaliam expulerunt. Anno deinde 395 Lacedaemonios cum Lycophrone, Pherarum tyranno, coniunctos invenimus (Diodor. XIV 82). Bello enim Corinthio exorto Medius Larissaeus, Lycophronis hostis, ab Atheniensibus, Thebanis, Corinthiis, Argivis adiutus Pharsalum a Lacedaemoniis, nescio an Lycophronis auxilio, occupatam expugnavit et Pharsalios Lycophronis nimirum rebus faventes sub corona vendidit. Agesilaus denique ex Asia redux auctore Xenophonte (Hell. IV 3, 3 sq.) omnes Thessalos exceptis *ὅσοι αὐτῶν φυγάδες τότ' ἐτύγχανον*, Lycophrone scilicet et eius fautoribus, sibi infestos habuit. Quo autem tempore Lacedaemonii societatem cum tyranno ab rationibus ipsorum abhorrentem inierint, parum constat. Eo tamen tempore, cum Aristippus a Cyro Minore auxilia expeteret, ipsi Oetaeis in Thessaliam expulsis Thessalorum iram sibi consciscerent, Lacedaemonios optimates et populum Thessalorum iam habuisse hostes, Lycophronem socium verisimile est.

Quocunque vero modo haec res se habet, usque ad annum 413 Lacedaemonios cum optimatibus Thessalis interdum coniunctiones habuisse, nunquam vero iis bellum ultro intulisse, anno contra 395 Lycophronem, optimatium hostem, adiuvisse constat, rerum inter hos annos gestarum memoria apud rerum gestarum scriptores deficit.

Quam quidem lacunam Plass non inconsiderate in libro suo: Die Tyrannis in ihren beiden Perioden bei den alten Griechen II p. 36, ita explevit, ut Lacedaemonios, priusquam cum tyranno sese coniun-

gerent, optimates ad suas partes traducere studuisse, cum vero hi libertati timentes imperium eorum repudiassent, tyranni res adiuvisse statueret.

At nobis non iam coniectura opus est, sed huius rei, foederis dico vel potius imperii a Lacedaemoniis denunciati Thessalis, aut certe Larissaeis, nostra oratio certum vestigium exhibet et totum rerum ordinem illustrat. Quominus vero hoc imperium sub specie societatis et belli Archelao inferendi statim, ut statuimus, post pugnam ad Aegospotamos commissam a Lacedaemoniis denunciatum esse putemus, nihil est, quod impediat, cum eodem tempore ubique eos Atheniensium socios fautoresque et suprema imperii infiniti impedimenta comprimere videamus. In his autem erat Thessalorum libertas et Archelai in rebus Larissaeorum potentia, hanc igitur frangere, Larissaeos ipsorum imperio subicere studebant, et hunc conatum Herodis orationi subesse demonstratum est.

Neque vero Lacedaemoniorum et Archelai simultates, quamvis de his ab aliis scriptoribus nihil traditum sit, a Lacedaemoniis, nedum ab Herode, prorsus fictas, sed ad occultanda vera consilia in maius elatas esse statuendum est. Perdiccas enim cum prodita Lacedaemoniorum societate ad Athenienses defecisset, odium sine dubio illorum in Macedones converterat, quod certe Archelaus, cum auxilia nollet Lacedaemoniis suppeditare, non minuit, et re vera Aëropum, qui Archelai filio remoto Macedonum regnum obtinuit, Agesilaum ex Asia reducem transitu Macedoniae prohibere conatum esse Polyaenus testatur II 1, 17. Quod denique Archelaum Graecorum societatem emere voluisse, sed obtinere non potuisse Herodes tradit, haec res ita se habere videtur, ut Archelaus, qui paribus utriusque partis viribus neutram secutus erat et Lacedaemoniorum evocationem repudiaverat, Atheniensium rebus afflictis, Lacedaemoniorum magnopere auctis timore commotus hos sequi voluerit, ab his vero reiectus sit, cum rebus secundis elati potentiam ab eo interim paratam non societate sancire, sed frangere vellent. Haec autem res nulli neque Herodis, neque alius cuiusquam testimonio repugnat, Herodis enim illud: *πλὴν ὅτι οὐκ ἤθελε συμπολεμεῖν αὐτοῖς πρὸς Ἀθηναίους*, ad prioris temporis conditionem spectare apparet.

Quae cum ita sint, iam, quod erat propositum, demonstravisse mihi videor orationem Herodis, quantum orationi opus est, sibi constare, neque rerum gestarum connexui aliorum scriptorum testimoniis constituto repugnare. — Quod cum constet, neque quin ea vera sint dubitandum est, quae ab Herode relata scientiam nostram rerum gestarum aliunde petitam excedunt et augent, sed ea omnibus Herodis descriptionibus fides vindicanda est, quae omnino rebus ab oratore

narratis debetur. Hunc fidei et veritatis modum poteramus transire in iis rebus, ubi oratoris et adversariorum sententiae oppositae, ut studia et opiniones excederemus et veram rerum conditionem cognosceremus, permittebant, — ubi hoc adiumentum deficit, in illo erit acquiescendum.

Lacedaemonios, ut apud Larissae optimates imperio suo locum facerent, frustra operam dedisse et ab iis reiectos Oetaeos in Thessaliam expulisse et cum Lycophrone, Pherarum tyranno, societatem fecisse iam dictum est. Quae conatus vanitas simul una videtur causa esse, de qua neque Xenophon neque alii rerum scriptores de his rebus quidquam nobis tradidere et altera Xenophontis componendi ratio et voluntas, qua vel maiora facinora, nedum consilia irrita, omisit. Quanquam vero a rerum scriptoribus nobis de his rebus nihil traditum est, tamen Herodis orationem tantam rerum fidem et cognitionem praestare, quantam in rebus tam remotis sine fontium materia Herodem habuisse non credibile sit, quaestio, quam instituimus, docuit.

Eodem modo argumenti obscuritas postulat, ut Herodem antiquitatis aliquod monumentum secutum esse statuamus, quod discipulis notum esset.

Si vero quaerimus, quibusnam fontibus usus sit, eo haec quaestio difficilior est diiudicatu, quod ipsi fontes nobis amissi sunt, et orationem ad fontes revocare difficilius est, quam opus, quod in rebus gestis tradendis versatur. Quae cum ita sint, fontis excutiendi periculum opinationem excedere non potest.

Materia autem hausta esse potest ex opere historico aut oratorio. De nomine scriptoris quaerentes, quem Herodes secutus sit, Philostrati testimonio de Critiae imitatione et studiis Herodis Critianis, et ipsius orationis materia, nec non Lacedaemoniorum studio ad Critiam revocamur. Critias enim teste Athenaeo XII 527 A et XIV 663 A *Πολιτείαν Θετταλῶν* composuerat. Posteriore loco Athenaeus *ὁμολογοῦνται δέ*, inquit, *οἱ Θετταλοὶ πολυτελέστατοι τῶν Ἑλλήνων γεγενῆσθαι περί τε τὰς ἐσθῆτας καὶ τὴν δίαιταν· ὅπερ αὐτοῖς αἴτιον ἐγένετο καὶ τοῦ κατὰ τῆς Ἑλλάδος ἐπαγαγεῖν τοὺς Πέρσας ἐξηλωκόσι τὴν τούτων τρυφὴν καὶ πολυτέλειαν. ἱστορεῖ δὲ καὶ περὶ τῆς πολυτελείας αὐτῶν καὶ Κριτίας ἐν τῇ Πολιτείᾳ αὐτῶν.* Demonstrare videtur illud: *ἱστορεῖ δὲ καὶ Κριτίας* Athenaei locum non ipsa Critiae verba exhibere, sed Critiam in libro suo similia de Thessalis scripsisse, et nihil impedit, quominus Critiam tradidisse credamus de Thessalorum luxuria similia iis, quae nostra oratio de Thessaliae ubertate et opibus in milites mercenarios impensis exhibet. Neque vero fieri non potest, ut Critiae liber res gestas, quales tradit

nostra oratio, continuerit, immo hoc verisimile est, siquidem recte Bachius (Critiae tyranni quae supersunt p. 98) Critiae testimonia de Themistocle et Cleone, Ephialta et Cimone Atheniensium reipublicae, quam scripsisse Critiam conicit, attribuit. Quem ad Critiae librum de Thessalorum republica fortasse etiam orationis nostrae inscriptio *περὶ πολιτείας* respicit, quae ipsi causae parum convenit.

Neque illud fieri non potest, ut Critiae oratio, quas nonnullas exstitisse Cicero (de oratore II 93) et Dionysius (de Lysia 2) tradunt, vel in universum antiqui scriptoris oratio Herodis operi subsit, Critiae vero aliquod opus Herodi materiam suppeditasse ea re potissimum probatur, quod eo tempore, quo Lacedaemonios Larissaeorum societatem petivisse statuimus, Critiam, Lacedaemoniorum fautorem, in Thessalia commoratum esse et rebus publicis constituendis interfuisse constat. Cum vero res certis argumentis diiudicari non possit, in medio hanc quaestionem relinquam.

Praebet igitur oratio nostra primum eloquentiae Herodeae specimen, et mensurae, qua huius aetatis eloquentiam veterum testimoniis celeberrimam ex ipsius indole et natura aestimemus, certam aliquam notam et definitionem addit.

Tum vero, quod causam attinet, habemus supplementum haud spernendum operis Xenophontei, quod Lacedaemoniorum in rebus Thessalicis agendi rationes explicat, Thessaliae, vel Larissae certe, certo temporis momento conditionem illustrat, Archelai denique regno, quod quietum fuisse et rebus intestinis excolendis tantum operam dedisse adhuc putatum est, novam aliquam lucem affert.

